DE CLAVDIANI ET CORIPPI SERMONE EPICO

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM VRATISLAVIENSIVM ORDINIS CONSENSV ET AVCTORITATE AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS SCRIPSIT

ALFREDVS WELZEL
VRATISLAVIENSIS

DIE XXX. MENSIS IVNII ANNI MCMVIII HORA XI
IN AVLA LEOPOLDINA
DOCTORANDVS DISSERET „DE CORIPPI IOHANNIDOS COMPOSITIONE“, DEINDE ERIT PROMOTIO

VRATISLAVIAE
TYPIS H. FLEISCHMANN
MCMVIII

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit

FRANCISCVS SKVTSCH

Examen rigorosum habitum est die XXVI mensis Februarii anni MCMVIII

FRANCISCO SKVTSCH

SACRVM

PRAEFATIO.

De epico poetarum Latinorum sermone extat Koeni[1]) commentatio optimarum observationum plena, qua primus, quali genere dicendi dactylici poetae usi sint, demonstrat. Illo enim libro epici et quantas in difficultates vocabulis metro incommodis delapsi sint et quibus remediis adhibitis tales angustias vitaverint edocemur. Qua de causa Koeni observationibus fundamentum iactum est, in quo posita sunt eorum studia, qui partim selectas de compluribus poetis quaestiones ad verborum usum pertinentes, syntacticas, prosodiacas tractabant[2]), partim qui apud singulos omnia epici sermonis capita examinabant. Quo ex numero quin Bednaram[3]) nominem, qui accuratissime de Catulli et Ovidi sermone disseruit, facere non possum. Sed cum poetae inferiorum etiam temporum lectione studioque digni sint et propter ea, quae de suis vel de suae aetatis factis, moribus, studiis memoriae tradiderunt, et propter verborum elegantiam, formas structuras adhibitas[4]), ego hanc provinciam mihi sumens ex posteriorum epicorum poetarum ordine disseram de Claudiano,

---

[1]) cf. Koene, über die Sprache der römischen Epiker. Münster 1840.

[2]) Exempli causa profero: C. Hultgren, die Technik d. röm. Dichter im episch u eleg. Versmass. Jhb. f. Phil. CVII. pg. 754 sqq. O. Keller, Gramm. Aufs. Leipz. 1895. Norden, comm. Aen. VI. pg. 113, ubi plura dantur. E. Haefner, die Eigennamen bei d. lat. Hexametrikern, München 1895.

[3]) E. Bednara, de sermone dactyl. Latinorum quaestiones A. L. G. XIV.

[4]) cf. R. Amann, de Corippo prior. poet. Lat. imitatore. Oldenburgi 1885. pg 1.

qui floruit quarto saeculo vergente et quinto ineunte, atque de Corippo poeta Africano, imperatoris Iustiniani aequali, quem sextum saeculum tulit[1]).

Tractabo autem quaestiones prosodiacas et morphologicas, quae materia continebit quattuor capita: A. vocales inter se concurrentes, B. consonarum vim coeuntium, C. syllabarum quantitates varie mutatas, D. alternationem formarum.

Praeterea vero, ubi facultas dabitur, brevissime tangemus quaestiones, quae spectant ad verborum usum et ad syntaxin, aperiemus vestigia quaedam archaica in Corippi carminibus passim extantia paucisque imitationis exemplis Amanni commentationem ditabimus. Materiae ita dispositae denique appendicis loco observationes criticas selectas adiciam.

A. De vocalibus inter se concurrentibus.

Primum commentationis caput ipsum tres partes complectitur: I. hiatus usum, II. alteram e duabus vocalibus interceptam (agitur de aphaeresi et elisione), III. contractionis genera.

I. de hiatus usu.

a. in confinio duorum vocabulorum.

Graecorum poetae dactylici inde ab Homero in thesi vocalem longam vel dipthongum exeuntem, quam altera vocalis sequebatur, corripiebant, qui usus apud dactylicos Latinos, quibus talis hiatus in thesi exstans molestus fuerit, non frequenter legitur[2]). Claudianus et Corippus ubi hiatum adhibuerint vel vitaverint videamus.

---

[1]) Hisce utriusque poetae editionibus usus sum: Cl. Claudiani quae exstant varietate lectionis et perpetua adnotatione illustrata a Matth. Gesnero (Lipsiae a. 1759). Claudiani carmina rec. Th. Birt. Berl. 95. in mon. Germ. hist. X. Claudiani carmina rec Ieep. Lips. 1886. Claudiani carmina rec. I. Koch. Lips. 1893. Flavii Cresconii Corippi Johannidos seu de bellis Libycis libri VII ed. P. Mazzucchellius (Mediolani 1820). Corippi Africani gramm. libri rec. I. Partsch. Berlin. 79, mon. Germ. hist. III. 2. Corippi Africani gramm libri rec. Petschenig, Berl. Stud. IV. 2. 1886.

[2]) cf. Grauert in Koeni libro pg 284 sq. Luc. Mueller. d. r. m. 2 Lips. 1894. pg. 327 sq.; pg. 367-79. Bieling de hiatus vi atque usu ap. poetas epicos, qui Augusti aetate floruerunt, (diss. Berlin 1868).

1. de hiatu adhibito.

Praemittantur duo hiatus, quibus Claudianus post interiectiones locum dedit. Optimorum enim libr. de Rapt. Pros. codicum testimoniis versus *Heu, ubi nunc es, nata, mihi?* (III 189) confirmatus a Jeepio, Birtio, Kochio in textum receptus est, qua in compositione Claudianum priores epicos poetas sibi imitandos proposuisse constat[1]). In reliquis autem versibus, ubi interiectionem *heu* legimus, ante consonas tantum ponitur[2]). Alter quidam hiatus, qui extat in VI. cons. Hon. vers. 310, ab editoribus non admittitur. Exempli causa Kochium nomino, qui, quamquam ipse concedit lectionem codicum V. P. Π. *o utinam* meliorem esse, tamen poni mavult *atque utinam* secutus Birtium dicentem *poetam talem quidem hiatum post exclamationem nusquam alibi sibi concessisse*[3]). Equidem non rectum esse censeo hiatum optimis codicibus traditum deleri, propterea quod apud eundem poetam semel tantum invenitur. Praeterea noster hiatus nonne aliorum poetarum Romanorum exemplis firmatur? Ne longus sim, brevissime affero: Ovid. met. I. 366. *o utinam possem*; al. cf. III 467; VIII 501; Lucan. Phars. VIII 88. *o utinam in thalamum . . . issem.* Stat. silv. V 1. 177 sq. *cui linquere possim o utinam, quos dura mihi rapit Atropos annos*[4]). Val. Flacc. VIII 439.

---

pg. 6 sqq. Lachmann. ad Lucret. comm. III 374; 941; 954. Maurenbrecher. Hiat u. Verschleifung (Lips. 1894). pg. 1—15. Lindsay-Nohl, die Lateinische Sprache (Leipz. 97.) pg. 153; 166 sqq.; 241 sqq.; cf. etiam Cicero, orat. 44,150.

[1]) Vergilius quidem interiectione *heu* nunquam cum *ubi* coniuncta utitur, semel dicit *o ubi* (G. II 486.), sed aliorum loci commemorandi sunt, quos sumpsi ex Burmanni edit. Ovid. I pg. 53. cf. Ovid. Heroid. IV 150. *Heu, ubi nunc . .* sim VI 41; am. III 8, 18; fast. III 485; Propert. IV 3. *Heu, ubi nunc;* Val. Flacc. IV 569. *Heu, ubi nunc;* cf. Stat. Theb. V 613; VIII 174. Sil. III 44. cf. Leo, de Senecae tragoediis observationes criticae I pg. 66 sqq.

[2]) cf. 3,50; 142; 5,14; 95; 261; 15, 103; 298; 492; 18, 9; 66; 480; 20, 290; 28,274; 300; R.'P. I. 138; 192; III 227;

[3]) cf. Kochi adnotationes criticas pg X LII.

[4]) cf Vollmer, Stat. silv. comm. pg. 559.

Etiam post gravem interpunctionem Claudianus hiatum admisit. Atque de III. cons. Stil. vers. 167, cum lectiones codicum inter se dissentiant, paulo accuratius disserendum est. Jeepius, qui cum Laurentiano codice scripsit: *Haec sacris animata Numae est. Huic fulmina vibrat Juppiter* . . . hac ratione hiatum quidem vitavit sed aphaeresin, quae ceteroquin poetae odio erat, maluit. Heinsius, quem reliqui fere omnes secuti sunt, aphaeresi hiatum anteposuit, praesertim cum plurimi codices (V. P. B. M. Π.Λ.) copulam *est* omittant. Scribarum studium hiatus vitandi etiam verborum collocatione in codd. S mutata illustratur: *Haec animata Numae sacris. Huic* . . . Equidem retineo lectionem Birtio et Kochio acceptam: *Haec sacris animata Numae. Hinc* . . . . Adverbium loci *Hinc* denique melius mihi videtur esse quam pronomen *Huic*; nam Roma, quae voce *hinc* significatur, quasi summa arx mundi est, unde Juppiter fulmina vibrat. Similem versum, forsitan imitationis vestigium, quo firmatur noster locus, apud Ovidium inveni: *unde* (Juppiter ex summa arce) *movet tonitrus vibrataque fulmina* iactat (met II 308); cf. Verg. Aen. VIII 524 *vibratus ab aethere fulgor cum sonitu venit.* In Claudiani quoque ipsius carminibus argumentum adest: 26,509 *iactata procul dicuntur in hostem Fulmina divinique volant pro moenibus ignes, seu caelum seu Roma tonat.*

Restat exemplum hiatus in c. m. 49,10 collocatum, ubi poeta de torpedinis natura disserit. Legimus apud Birtium: *Utitur ingenio longeque extenta per algas Attactu confisa suo. Immobilis haeret* (Eε). Similis structura Vergili versus quidam est (Aen VII 250.) *Obtutu tenet ora soloque immobilis haeret.* Kochius iterum Birtium secutus neque respexit plurimorum librorum lectionem *suo,* et iure despexit Jeepi coniecturam *suo est,* quod copula *est* a Claudiano paene ubique omittitur et vocalis *-o-* cum *est* in carminibus huius poetae nunquam coniuncta occurrit. Iam Birtius pronomen *suo* in verbum *subit* commutandum esse suspicatus hoc verbum quasi *latet* significans loco quodam Vergiliano allato studet fulcire, cf. Aen. X 522: *Ille astu subit at tremibunda*

supervolāt hasta [1]). Quod ad syllabas in hiatu positas attinet, semper apud Claudianum extrema vocalis prioris vocis longa est; poeta hiatum in thesi collocare anxie vitavit, ut exstent hiatus in arsi tantum admissi. Quo usu Claudianus a Vergilio discrepat, qui exempli causa non veritus est scribere: *Jnsulaĕ Jonio in magno* (Aen. III 211.) Aen. VI 507 *tĕ, amice*; B. 2,65 *ŏ Alexi*; 8,108 *quĭ amant*; . . [2])

Veniamus nunc ad Corippum, apud quem duo hiatus genera leguntur. Alterum complectitur notissimum usum hiatus post interiectionem in arsi admissi. Corippus, nisi fallor, bis dixit *o utinam*; cf. Joh. IV 33 *o utinam medio iacuissent funera campo* et ibid. IV 129 *o utinam ferus ille meis occumberet armis.* (sed VII 179 *atque utinam*). Alterum hiatus genus, quod in thesi exstans plane apud Claudianum deest, omnino rarius est. Nisi lectionem corruptam habemus, in Just. III 369 legendum est: *cognoscant Avares, quoniam deus omnium hic est.* Sed priores editores [3]) haec lectio offendit, quam ob rem Ruizius *omnibus hic est* coniecit et Fogginus proposuit *omnipotens est.* Verum cur lectionem codice Matritensi traditam non retinemus, qua melius reliquis sententia loci exprimitur? Haec enim licentia prosodiaca non plane dissentit a syllabarum mensura, qua usi sunt poetae epici Augusti etiam aetatis, quos Corippus sine dubio omnes fere perscrutatus est [4]). Itaque mirari non debemus forte animo eius hiatum quendam, qualem legimus apud Vergilium (ecl. VIII 11) *desinăm accipe*, Lucretium (I 137) *corporum augebit*, Ennium (an. 354) *milia militum*

---

[1]) Quae coniectura felicissima esset: nam torpedo illa, cum sit segnis et languida, per algas extenta iacens praedam exspectat, sed Vergilianum locum inspicienti dubium erit, utrum voci *subit* significatio latendi vere tribuenda sit necne. Minime habemus, quod contemnamus verba codicibus Eε tradita, quae neque sententia carent et respondent verborum usui Claudianeo.

[2]) cf. Norden comm. pg. 259.

[3]) cf. Corippi in laud. Just. ed. Ruizius Assagrius, Antverp. 1581. Corippi in laud. Just. ed. Fogginus, Romae 1777.

[4]) cf. Amanni commentationem, quam supra commemoravi.

octo, vel similem[1]) obversatum esse. Formam *omnium* amplexi etiam alia re adiuvamur. In nostro enim versu *quoniam deus omnium hic est* litteram-h-consonae vice fungi, ita ut poeta quasi positionem neglexerit, vix mihi persuaserim, praesertim si Corippum litterae-h-rarissime vim positionis dedisse in secunda huius capitis parte accuratius cognoscemus. Id unum iam hic statuendum est litteram-h-ubi positionem efficit, nusquam a poeta in arsi positam esse.

Minore autem fide aliud rarioris hiatus exemplum dignum est, quod invenitur in Joh. I 102. Ibi enim codex Trivultianus haec verba tradit: *dominum benedixit in arvis Urbicius sapiens, quem primum maximus orbis imperialis apex famulum rebusque fidelem tunc habuit, lectum quem nullas miserat oras noscere, quae saevi fuerant discrimina belli.* Talis lectio nimirum respuenda est, quod verbis: *lectum quem nullas miserat . . noscere* sententia exspectatae contraria efficitur. Cui versui restituendo praeter Mazzucchellium[2]) Partschius et Petschenigius maxime operam dederunt, quorum ille *quemque illas* proposuit. Petschenigi autem coniectura *quĕm ĭn illas* non solum magis litteris traditis respondet sed etiam videtur adiuvari versu quodam in eodem libro exstante, qui easdem fere voces collocatione permutata praebet, cf. vers. 49 sq. *et nostras meditans, quem vellet in oras ductorem mandare* (= mittere) cf. etiam Joh. IV 644 *quos mille duces misere in proelia Syrtes.* Poetae denique priorum temporum similes hiatus prosodiacos non ita moleste tulerunt, quam ob rem sine ulla dubitatione confirmaverim Corippum tali hiatu usum ex poetis archaicis pendere, praesertim si cum nostro loco: *quĕm ĭn illas* comparamus exempla qualia sunt: *quĕm ĭn arce* (Lucilius, X 388) *quăm ĭn his* (Lucretius III 394) al.[3])

---

[1]) cf. Maurenbrecher, pg. 72 sqq.

[2]) cuius in editione legimus: *quem ad multas.*

[3]) cf. Maurenbrecher, pg. 42 sq.; Marx, comm. in Lucili reliquias pg. 146 sq.; Lachmann, comm. pg. 166.

2) de hiatu vitato.

Iam priores poetae ut hiatum admittere non dubitaverunt, ita interdum variis remediis tali licentia abstinuerunt. Exempli causa nomino Vergilium[1]) scribentem (ecl. I 15): *silice in nuda / conixa reliquit*, quamquam usitatum verbum *enitor* est (cf. Aen. III 327; 391; VII 320) cf. etiam Stat. Ach. I 131 *iamque modo infensos uterō mĭhĭ / cōntuor enses* (pro: *mĭhĭ / īntuor*). Similiter Claudianus quoque et Corippus hiatum effugerunt, quorum exempla, ne longus sim, brevissime tractabo. Apud Vergilium haec verborum compositio duplicem hiatum praebens exstat (G. I 281). *Ter sunt conati / imponere Pelio / Ossam*, quem versum quidem imitatus una cum Statio[2]) (Theb. VIII 78) Claudianus casibus mutatis scripsit *involvite Pelion Ossae* (8,108) et *imponam glaciali Pelion Ossae* (21,12[3])). Claudianus igitur aspernatus concursum earundem vocalium abstinuit hiatu, qui dicitur Homericus[4]). Multo saepius autem a Claudiano insolitam quandam verborum collocationem hiatui antepositam esse, statim paucis exemplis allatis apparebit. Noster enim poeta, cum novis hiatus formis anxie abstineat, interiectionem-o-longe separat a nomine substantivo, quocum coniungenda est: 3,287 *tuque o cum pressa matre rebellis non ultra Libyae fines, Antaee, nocebas.* 26,430. *Celsior o cunctis unique aequande Camillo (pro: o / aequande.)*, quin etiam nomen Substantivum omnino deest: 7,7. *Tuque o, qui patrium orbem Eoo cum fratre regis, procede . . .* (pro: *o / Honori*, quod substantivum exspectatur). Quamquam talis verborum compositio tantum in quarto versus pede interiectione breviata poni potuit, id quod simili ratione Vergilius (B. 2,65 *ŏ Alexi*) sibi permisit.

---

[1]) Idem iam Servius (ad Aen. I 15) animadvertit: *conixa pro eo, quod est enixa, nam hiatus causa mutavit praepositionem*; cf. Aen. II 281. *O lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum.*

[2]) cf. Luc. Mueller, pg. 373.

[3]) cf. etiam Ovidi versum *fulmine et excussit subiecto Pelion Ossae* (met. I 155).

[4]) cf. Gellius VI 20,6 item Meineke, praef. ad Hor. pg. IX[2].

Restat, ut de verborum compositione *ferro | ignique* nonnulla dicam, qua scriptores sermonis pedestris saepe utebantur et quam semel tantum Silius (I 115) carminibus intexuit hiatu quidem vitato sed elisione molestissima admissa. Reliqui autem poetae epici[1]) ambas voces partim longe separaverunt, partim commutaverunt, partim omnino vitaverunt. Claudianus ambas voces exhibet sed aliis vocabulis separatas: 20,14 *ferro sanantur et igni;* 26,156. *Spartacus omne per latus Italiae ferro bacchatus et igni.*

Semel Corippus quoque hiatum quendam collocatione verborum mutata videtur evitasse. Legimus enim in Joh. VIII 432 *Romani comites et gens o nostra fidelis*, quocum loco Ovidianus ille versus comparandus est: *o et de Latia o et de gente Sabina*[2]) (met. XIV 832).

b) De hiatu intra unum vocabulum exstante.

In lingua Latina etiam intra unam vocem vocalium concursus solet fieri. Sed cum talium formarum numerus sit maximus, simplicibus verbis neglectis[3]) tractabo tantum verba cum praepositionibus coniuncta.

1) Praepositio vocali longa vel dipthongo terminatur:

Praepositio in longam vocalem vel dipthongum exiens, quae in thesi collocata est, ab optimis poetis, ubi altera vocalis sequitur, corripitur[4]). Haec exempla mihi praesto sunt: Verg. Aen. VII 524 *prăe | ustus*; Aen. V 186 *prăe | eunte*;

---

[1]) Ex Vergili carminibus profero: Aen. X 232 *ferro Rutulus flammaque*; IV 626 *face . . . . . ferroque*; VII 692 *quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro*, cf. Stati Ach. I 657 *igni ferroque excisa.*

[2]) Corippo hunc Ovidi versum notum fuisse veri simile est; cf. Amannum, qui comparat Ovid. met. XIV 648 cum Coripp. Joh. I 340, cui loco adicio Joh. III. 445.

[3]) Intra simplicia verba concursus vocalium quin etiam parium poetas minime offendit: saepissime duplex vocalis-i-et-u-legitur apud Claudianum et Corippum. Graecorum vocabulorum ut vocalis-o-duplicata in Claudiani carminibus non deest (cf. 7,8; 8,629; al.) ita non invenitur Latinorum verborum. Contra Corippus semel dixit: Joh. VII 443 *coopertus*; (cf. Verg. Aen. I 148).

[4]) cf. mirum Stati usum: Theb. II 551 dēire; VI 519 prāeiret; Vollmer, comm. pg. 557.

Ovid. met. VII 131 *prăe / acutus*; sic semper, nisi contractio fit, verbi *prehendo* formae ex *prae* et *hendo* orti [1]) tractantur: Verg. Aen. II 592 *prĕ/hensum*; XI 719 *prĕ/hensis*. Similem breviationem Claudianus semel in usu praepositionis *dē* admittit: *Celsa dĕhinc patulum prospectans Narnia campum regali calcatur equo,* (28,515) qualis prosodia iam apud Horatium invenitur *speciosa dĕhinc miracula* (ep. II 3. 144) [2]), Vergilium: *dona dĕhinc auro gravia* . . . (Aen. III 464) Statium (silv. III 3.63).

2) Praepositio in consonam-m-exit.

Agitur de praepositione *circum* [3]), cuius extrema consona-m-, si vocalis sequitur, deletur, ita ut vocalis vocalem tangat. Ex priorum poetarum ordine exempli causa Ovidium affero: met. XIII 826 *cīrcŭ(m)ĕānt*; VIII 748 *circu(m)iere*; XV 290 *circu(m)eunt*; atque similes hiatus etiam Claudianus et Corippus sibi permittunt, quorum ille tantum formam *circuit* praebet, quae praeter c. m. 26,49 ubique initium versus continet (cf. 5,350; 18,97; 10,57; 28,528). Semel autem, cum talis hiatus propter creticum imminentem non adhibendus esset, poeta tmesi usus est: 5,76 *circumque armata clientum agmina privatis ibant famulantia signis* (pro: *cīrcŭ(m)ībant*). Corrippus novit et formam *circu(m)it* (Joh. II 437; VII 401) et *circu(m)eunt* (Just. IV 531).

II. De altera ex duabus vocalibus intercepta.

a) in confinio duorum vocabulorum.

Materia de hiatu tractata transeamus ad aphaeresin et elisionem. Utrumque remedium, quo altera ex duabus vocalibus intercipitur, in dicendo quoque usitatum fuisse testimoniis scriptorum Latinorum firmatur [4]). Spectemus:

---

[1]) cf. Lindsay-Nohl, pg. 132.

[2]) Vox *dehinc* apud poetas semper fere μονοσυλλάβως pronuntiatur (cf. Norden comm. pg. 294).

[3]) cf. Luc. Mueller, pg. 328 sqq.; Lindsay-Nohl, pg. 167.

[4]) cf. Cicero, orat. 150; 152; cf. J. Wolff, de clausulis Ciceronianis. Ihb. f. Phil. Sppl. XXVII, pg. 645 sq.

1) aphaeresin[1]).

Apud Claudianum adsunt paucissimae aphaereses, propterea quod ei verbum-*esse*-odio erat. Birtius[2]) septem fere exempla enumerat, quae sunt: 1,14 *certum (e)st de consule nasci*; 22,331 *Te certum est*[3]); 18,332 *Hoc genus inventum est*; c. m. 17,48 *emptum est*; 8,248 *nulla est victoria maior*; 443 *tanta est fiducia*; R. Pr III 367 *longa est*, omisit autem, nisi fallor, quattuor aphaereses: 3,238 *mors adeone parum est.* Hoc loco Birtius observationibus, quas de Claudiani sermonis consuetudine instituit, videtur nimis indulsisse[4]), quamquam ipse similem Vergili locum affert. (cf. Aen. XII 646 *usque adeone mori miserum est?*) Accedunt tria alia aphaeresis admissae exempla: 5,218 *parendum est*; 247 *patria est*; 26,227 *utque est.*

Semel invenitur aphaeresis in priore pentametri parte (c. m. 17,48), nunquam in Fescenninis aut in sexto hexametri pede. Poeta sexies syllabam-*um*,-quater vocalem-*ă*,-semel-*ĕ*-cum forma *est* collisit.

Contra Corippus non novit Claudianeum illud odium verbi *esse*, ita ut plurimae aphaereses exstent. Semel legitur in primo hemistichio versus pentametri: *Musă est* (praef. Joh. 28). Sed cum magna sententiarum differentia inter viros doctos sit, utrum *Johannis* an *panegyricus in laudem Justini* diligentiorem compositionem versuum praebeat[5]),

---

[1]) cf. Luc. Mueller, pg. 364—67. Lindsay-Nohl, pg. 139. Norden, comm. pg. 327; 438, cf. Leo, Plautinische Forschungen pg. 253 sqq.; Brinkmann, de cop.-est-aphaeresi. Marb. 06 (diss.)

[2]) cf. Birti praef. pg. CCXXIV.

[3]) Kochius autem aphaeresin illam respuens ex codd. A.B.Λ. vocabula *posse queas* praeoptavit, non solum ut molestam aphaeresin vitaret, sed etiam quod haec lectio ei exquisitior videretur esse. Birtius ipse codicibus A.B.Λ. veram lectionem fortasse servandam esse concedit.

[4]) cf. Kochi adnotationes criticas pg. XX; atque etiam Birti editionem pg. 27.

[5]) cf. Teuffel, Gesch. d. röm. Literatur[5] pg. 1183. Mazzucchelli, Mailand 1820, pg. 46—51; A. Riese, Lit. Centr. Bl. 1887, pg. 948; Petschenig, edit. pg. VIII. sq. Appel, I. Würdigung d. Coripp. u. seiner Dichtungen pg. 4—16.

operae pretium videtur mihi esse, quamquam novissime vir doctissimus de hac re optimam commentationem conscripsit[1]), nonnulla hic quoque proponere. In centenis versibus plurima aphaeresis exempla secundus Justini liber ($4,_4$) continet, quem sequuntur: Anast. (quattuor fere), Joh. praef. (tria fere), Just. III; Joh. III; Just. I. praef. (duo), Joh. IV; Just. IV; Joh. VII; Joh. VIII. (duo fere), Just. I; Joh. II. (unum), Joh. I. (unum fere); diligentissimam vero compositionem praebent: Joh. VI. (0,39), Joh. V. (0,38).

Corippum igitur in aphaeresis usu, quod ad panegyricum *in laudem Justini* attinet paulo neglegentius se gessisse intellegitur, quamquam pro temporibus et aequalium quin etiam priorum poetarum consuetudine Corippus in huius licentiae usu vel castissimus fuit.

Saepe legimus aphaeresin in thesi sexti pedis (cf. Joh. I 148; 525; II 129; III 22; IV 118; 231; 245; 366; 446; V 92; VII 166; 214; 514; VIII 254; 278; al. in panegyrico sex fere exempla exstant). Plurimae aphaereses in arsi quarti pedis (triginta fere) inveniuntur, sequuntur: arsis secundi pedis (24) tertii pedis (18). Exemplis omnino vacant: ars. V. ped. ars. VI. ped. thess. II. III. V. pedum. Compluries denique copula omnino omittitur: Joh. III 391; VII 178; VIII 373 alia, quae apud Petschenigium[2]) possunt inspici.

Saepissime cum copula *est* coalescit vocalis brevis-*a*-(quadragies fere), secundum locum tenet syllaba-*um*-(vicies sexies), tertium vocalis longa-*i*-(decies), quartum vocalis longa-*o*-(sexies)-*o*-anceps (ter fere), quintum vocalis brevis-*e*-(septies), sextum dipthongus-*ae*-(quater) septimum denique syllaba-*em* (bis) et octavum vocalis-*u*-semel (Just. II 228).

---

[1]) cf. Skutschium, qui de Corippi elisionibus, versuum formatione, caesuris accuratissime disseruit (cf. Pauly-Wissowa IV, pg. 1236 sqq.).

[2]) cf. Petschenigi indicem verborum pg. 240.

2) de elisione[1].

Elisio, qua extrema vocalis prioris vocis intercipitur, partim propter commoditatem, partim propter metri necessitatem fieri solet, ubi tribrachys, dactylus in consonam-*m*-exiens, antispastus ad heroicum metrum accommodantur. Materiam nostram triplici ordine exponemus:

α) de numero elisionum exstantium.

In versibus pentametris pangendis castissimi diligentissimique poetae semper fuerunt, qua de causa non mirum est, quod plurima Claudiani carmina versus pentametros praebentia elisionibus omnino vacant, enumero: Ruf. praef. II; IV. Eutr. praef.; Paneg. Theod. praef.; III. cons. Stil. praef.; VI. cons. Hon. praef.; de bello Goth. praef. Ita etiam plurima carminum minorum; de R. Pr. 32; 34. Sex tantum elisiones in pentametris inveniuntur, quae sunt: 6,12; c. m. 17,14; 26,34; 100; 40,22; 41,14. In Fescenninis praeter I 25 *(vero ăcerbis)* nulla elisio legitur. Corippus, qui viginti versus pentametros habet, ubique elisione abstinuit.

Cum de numero elisionum in versibus hexametris Claudianeis Birtius[2]) accuratissime disseruerit totam rem repetere omittens ipse alterius rationem metricam cum altera malo comparare. Claudiani III. lib. de Rapt. Pros., in quo centenis versibus maximus elisionum numerus continetur (12,5), etiam sex Corippi libris superatur: IV. libr. Just. (13,5) I. libr. Just. (14) praef. Joh. (15) III. libr. Just. (15,5) VIII. libr. Joh. (16,3) praef. Just. (16,7). Praeterea magnopere inter se discrepant utriusque poetae libri, qui minimum elisionum numerum praebent, dico: epith. de nupt. Hon. (1,3) et Joh. lib. III. (8,5), quin etiam Corippi tertius ille

---

[1]) cf. Koene, pg. 10sqq.; Bockemüller, de elisione in vers. hexam. Stade (prgr) 1860. F. C. Hermann, Die Elision bei römischen Dichtern, Berlin 1863 prgr. Lindsay-Nohl, pg. 166sq. 437. 71sq. Luc. Mueller, pg. 327—63. Norden, comm. pg. 442sqq. Schuchardt, der Vokalismus des Vulgärlateins II, pg. 441—86. J. Wolff, de clausulis Ciceronianis Jahrbb. f. Phil. Suppl. 26, pg. 646 sqq.

[2]) cf. Birti praef. CCXVI. sqq.

Johannidos liber multo magis elisionibus abundat, quam reliqua Claudiani carmina exceptis III. libro de R. Pros. (12,5) et libro de bello Gothico (8,7).

Claudianus igitur in usu elisionum multo cautiorem poetam se praebet quam Corippus. Hunc *in laudibus Justini*, quem librum novissimum composuit, magis elisioni vitandae operam dedisse, quam in *Johannide* Lucianus Muellerus[1] dixerat. Sed Skutschio, qui utriusque carminis primos libros inspexit[2], recte aliter visum esse nostris observationibus confirmatur.

β) de collocatione elisionum.

Elegantissimi Romanorum poetae in anteriore versus pentametri hemistichio elisione longarum, ancipitum, brevium syllabarum usi sunt, Claudianus autem in anteriore parte breves tantum elisiones adhibuit et in posteriore pentametri parte elisionibus omnino abstinuit. In hexametro apud Claudianum summa elisionum frequentia in thesi quarti pedis est, qualem usum Corippus quoque sequitur (numerus elisionum in Joh.: 131, in Just.: 62). Rarissime elisiones admittuntur in thesi quinti pedis, in arsi primi pedis, et plane autem desunt in arsi et thesi sexti pedis.

Interdum duae elisiones in eodem versu adsunt et plerumque apud Claudianum elisiones in thesi primi pedis positae una cum elisionibus quarti pedis leguntur (cf. 26,145; 556; R. Pr. II 4; III 91; 170.), quin etiam Corippus tres elisiones in eodem versu sibi permisit (cf. Joh. I 288; VIII 469.) Multo saepius autem in carminibus huius quoque poetae versus duas elisiones praebentes inveniuntur. (cf. Joh. IV 439; V 5; 215; 417; VI 319; VII 43; VIII 67; 73; 277; 278; 337; Anast. 38; Just. I 195; 247; 278; 285; II 131; III 147; 176; 238; 325; 341; IV 68; 209). Commemoratione denique digni sunt versus, in quibus caesura, inprimis Penthemimeres, vocalibus confluentibus obscuratur. Utrum talis versus neglegenter compositus sit, an caesura

---

[1]) cf. Luc. Mueller, pg. 337.

[2]) cf. Skutsch, Pauly-Wissowa IV, pg. 1243.

recta possit dici, in contentionem vocatum est[1]). Talium elisionum copiam utriusque poetae editores iam congesserunt[2]).

γ) de quantitate syllabarum elisarum.

In pentametro brevium tantum vocalium elisio a Claudiano admittitur, quam ob rem in c. m. 41,14 codicum V. A. lectio: *Et Latiae accessit Graia Thalia togae* a Birtio aliisque editoribus in textum recepta reicienda est. Sed lectionem codice priore Veronensi (R, IX. saecl.) datam *Latiae cessit* rectam esse iam Vollmerus[3]) censuit. Quibus verbis poeta exprimere voluit Musam Graecam, cum Romam adveniens togata carmina fingere incepisset, sponte Latinae cessisse. Voce *toga* poesin epicam Romanorum significari, non est, cur miremur, praesertim si alias voces, quibus eadem sententia inest, spectamus: 1,198 *Nec Latiae cecinere tubae nec Graia vetustas*; c. m. 30,9 *Unde piae pascuntur apes et prata legentes transmittunt saeclis Heliconia mella futuris.*

δ) Etiam versus hexametri Claudianei, cum saepissime particula-que-decurtetur, brevium vocalium elisione redundant. Praeterea eliduntur breves vocales-*a*-*e*-*o*-[4]). Ut reliquis Romanorum poetis epicis[5]) ita Claudiano elisione remedium affertur, quo adhibito plurimae voces in tribrachyn exeuntes versui heroico possint inseri. Haec exempla collegi: 26,317 *Hespĕrĭă ut*; R. Pr. III 441 *Judĭcĭă et*; 17,117. *Justĭtĭă et*; 22,103 *Justĭtĭă utilibus*; 17,169 *Perfĭdĭă et*; 297 *Prodĭgĭă et*; 24,346 *Prodĭgĭă immanesque*; R. Pr. III 370 *căpĭtă inviolata*; 28,569 *chălўbĕ indutos*; R. Pr. II 266 *consĭlĭă o*; 18,481 *mancĭpĭă en*; 18,419 *milĭtĭă eunuchi*; 5,247 *pătrĭă*

---

[1]) cf. Eichner, Von der Gliederung des Distichons, Gnesen (prgr) cap. I. (1875.) Hertzberg, ad Propert. II. cap. IV. pg. 179; Lachmann, Lucr. pg. 413; Norden, comm. pg. 451.

[2]) cf. Birti praef. pg. CCXIII; Partsch, pg. 182; Petschenig, pg. 247; Skutsch. P-W. IV 1243.

[3]) cf. Pauly-Wissowa III. pg. 2652.

[4]) cf. Birti praefationem pg. CCXVI. sqq.

[5]) cf. Koene, pg. 39; 43; 56; 75; 100; 110; 132; 156; 197. Bednara. pg. 16.

est; 18,25 *saevĭtĭă humanis;* 17,140 *aggrĕdĕrĕ et;* R. Pr. II pr. 41 *cădĕrĕ Antaeo*; 17,281 *collĭgĭtĕ et*; 3,99 *protĕgĕrĕ et;* 22,43 *respŭĕrĕ offensas;*

In Corippi quoque carminibus saepissime coniunctio-*que*-eliditur neque desunt aliorum vocabulorum breves vocales-*e*-*a*-et ancipites-*i*-*o* [1])-in utroque carmine aeque fere positae. Idem poeta non respuit remedium elisionis verborum in tribrachyn cadentium, cuius usus multa exempla mihi occurrerunt: Joh. V 74 *Eilĭmărĕ occiso;* II 299 *agrĭcŏlă immistis;* Just. I 127 *agrĭcŏlă in*; II 319 *căpĭtă accedunt;* III 176 *căpĭtă alta;* III 211 *offĭcĭă explerunt*; I 320 *studĭă inter;* IV 357 *supplĭcĭă*, *inflictas*; Joh. VI 397 *mĕdĭă in*; II 415; IV 399; 570; V 9 *mĕdĭă inter*; IV 439 *ăgĭtĕ et*; V 417; VIII 469 *ăgĭtĕ o*; I 78 *appĕtĕrĕ et*; VIII 471 *deĭcĭtĕ et*; VI 254 *consŭlĭtĕ et;* VIII 87 *dirĭpĭtĕ infando;* VIII 18 *effŭgĕrĕ unde*; VII 399 *perfĭcĕrĕ et;* V 182 *respĭcĭtĕ et;*

Corippus denique exhibet elisionem quandam, quae apud Claudianum vix occurrit sed minime deest apud alios poetas priores [2]). Nostrum enim poetam adiecta particula-*que*-dactylicas voces in vocalem exeuntes sine elisione ad metrum accommodare voluisse apparet: Joh. VIII 475 *Cūsĭnăquĕ et;* 345 *āĕrăquĕ et;* 604 *āspĕrăquĕ et;* I 94 *cōrpŏrăquĕ et*; V 348 *fīscŭlăquĕ et;* Anast. 3 *gāudĭăquĕ et*; Joh. II 277 *ārdŭăquĕ excelsis*; V. 113 *lūmĭnăquĕ et*; VIII 126; 215; 293 *mūtŭăquĕ* ex; [3])

---

[1]) cf. Skutsch, Pauly-Wissowa IV, pg. 1243.

[2]) cf. exempli causa: Propert. I 3. 16 *ōsculaque admota;* V 1. 19 *ānnuaque accenso;* al. Ovid. met. I 39 *flūminaque obliquis;* 62 *Pērsidaque et*; al.

[3]) Uterque poeta secundum priorum poetarum usum tribrachyn versu in dactylico variis remediis evitavit, quorum in hac adnotatione nonnulla enumerabo, I. syntactica: alter numerus pro altero ponitur, saepe singularis pro plurali: Claud. 5,110; 18,91 *geminum mare* = *duo maria;* 15,437 . . . *cum missile torserit hostis (missilia) dextra movet iaculum praetentat pallia laeva*; 21,356 . . . *proiecit missile Mazax* (sed cf. vers. 354) 28,72 *summisere genu* (*genua; genva*); Similiter Corippus quoque egit: Joh. VI 42 *celsos indagine montes, antra, nemus* (*nemora*)

β′) De syllabarum in consonam-*m*-exeuntium usu.

Egomet ipse de dactylicis vocibus in consonam-*m*-cadentibus tantum[1]) nonnulla verba faciam. In Fescenninis quidem carminibus talia vocabula dactylica leguntur, illis versibus haud incommoda, qualia sunt: I 6 *Castorem*; 8 *Apollinem*; 9 *Liberum*; 16 *Adonidem;* 17 *Virbium*; 20 *Sirium;* 37 *cingulum*; IV. 13 *osculum;* 24 *anhelitum*, sed desunt in versibus hexametris, cum Claudianus talium formarum molesta elisione plane abstinuerit, quo fit, ut in hac re diligentia et venustate reliquos fere omnes poetas dactylicos antecellat[2]).

---

fluvios, silvarum saxa, latebras cingite; 81 *purpureum ferrum* (sed cf. versus antecedetes). Just. II 113 *omne mysterium*; saepe exstat *missile* = *missilia*: Joh. V 3; 35; 60; 128; 222; al. Just. II 33 *cui flectitur uni omne genu, quem cuncta pavent elementa*; Joh. III 387 *fatum miserabile* (contra saepe *fata* in V. pede). — II. remedia ad verborum usum spectantia: formae secundariae adhibentur; cf. Claud. 26,261 *Romula virtus* (= *Romulea*; cf. Verg. Aen. VI 877. Haefner, pg. 9 sq.) 24,245 *ora pulverulenta* (*pulverea*) *rubent*; it. 20,313; c. m. 40,8 (semel 26,458 *pulvereo*) – *pecudes pro pecora* cf. Claud. c. m. 18,20; 24,316; 18,3; Coripp. Joh. VIII 284; al.; etiam *pecuaria* VIII 169. — Pro verbis simplicibus iterativa, intensiva ponuntur: Claud. 3,365 *obiectare* (*obicere*) c. m. 30,122; 53,121 al. *agitare* (*agere*) 18,464 *gestare* (*gerere*) c. m. 25,73 *tueri* (*protegere*) 5,295 *capessere* (*capere*) Coripp. Joh. VII 55 *obiectare* (*obicere*) al. III 130 *cantare* (*canere*) — pro gravioribus vocibus similia carminibus intexuntur: *iussa* = *imperia* (cf. Catull 63,80) Claud. 8,297; 20,235; 26,277 al. Coripp. VII 398; *praecepta* VII 76; *mandata* VII 74; *benefacta* pro *beneficia*, Claud. 28,386; 22,42; 24,182; Coripp. Joh. VI 70 *malefacta* (*maleficia*) *consulta* = *consilia*, cf. Coripp. Joh. VI 236; VII 51. — Neque desunt circumscriptiones variae: c. m. 27,15 *ventosa pabula* (*aeria*) 17,182 *desueta caerula* (*maria*) *temptabo*; Coripp. Joh. I 8 *Camenae cupiunt resonare* (*canere*) III 42 *advertere terga* (*fugere*); ablativus *hieme* circumscribitur: Claud. 26,322 *brumali sidere* (Ovid. Pont. II 4. 25 cf. Birt. pg. 271) 1,135 *bruma temptabimus Histrum.* R. Pr. I 264 *brumaque perenni*; R. Pr. III 327 *extincta paelice* (*Cerere*) al.

1) Reliqua in Birti praefatione pg. CCXVI sqq. possunt inspici.

2) Catullus minime veritus est formas versui adaptare quales sunt: 68,31 *cognitum habere*; 91,9 *gaudium in;* 66,43 *maximum in*; 68,3 *naufragum ut*; al. (cf. Bednara, pg. 17). Cautior in hoc usu iam Ovidius est, qui bis tantum in omnibus carminibus parem licentiam admisit, cf. met. VI 524 *virginem et*; am. III 6. 01 *fluminum amores*

Eadem cura Corippus elisionem syllabarum in consonam *m* exeuntium tractavit, cuius usus nonnulla exempla iam Skutschius [1]) contulit. In utroque carmine saepissime syllaba *um* eliditur, syllaba *im* in Johannide sexies circiter, nusquam in panegyrico. Dactylicas denique voces in consonam *m* cadentes apud Corippum elisas onmino non inveni.

Severis illis legibus factum est, ut etiam a Claudiani et Corippi versibus permultae et necessariae voces secluderentur, quas angustias poetae nostri variis remediis e priorum dactylicorum sermone depromptis effugerunt [2]).

(Koene, pg. 122; Bednara, pg. 17). De reliquorum poetarum exemplis inspiciatur: Eskuche, Rh. Mus. XLV, pg. 404 sqq.; item: Koene pg. 63; 75; 126.

[1]) cf. Pauly-Wissowa IV, pg. 1243.

[2]) Utriusque poetae usum nonnullis exemplis illustremus: Ex syntacticorum remediorum numero commemoro numerum pluralem pro singulari positum, cuius licentiae causa partim nomen substantivum ipsum est, partim adiectivum, quocum coniungitur, partim ambo nomina: Claud. c. m. 29,11 *candida virginis colla* (*cāndidum*); 3,225 *effera corda quatiebat* (de uno Rufino agitur) 7,40 *marcida otia*; 26,130 *nulli pervia culpae pectora Fabricii*; 3,315 *commoda tempora differt*; 22,227 *conveniunt ad tecta deae, quae candida lucent*; R. Pr. I 155 *qui* (Enceladus) *saucia terga revinctus*; 3,67 *venena noxia*; Coripp. Joh. IV 467 *pars ardua celsi colla retentat equi*; VII 197 *ardua tecta* (de uno). Just. III 78 *ferrea nunc abeunt atque aurea saecula surgunt*; al. Etiam numerus singularis pluralis vice debet fungi: Joh. IV 605 *infensi militis.* (pro: *mīlitum*) VI 113 *duri militis*; cf. VIII 108; 267, al. Alter casus pro altero collocatur: R. Pr. III 283 *caris te, Delia, silvis pepulit* (*Deliam*) (cf. Ovid. met. XIV 570). Formae Ennianae, a Lucretio, Vergilio, aliis poetis redintegratae, usurpantur: Claud. R. Pr. II 3 *per caerula flammae* (*caerulam flammam*); 7,198, al. *per caerula freti*; 15,490 *per devia ponti*; 8,375 *prospera fati*; Coripp. Joh. III 245; Just. III 271 *ultima mundi* (cf. Appel pg. 34.). Remedia ex usu verborum petita: Adiectivum ex nomine substantivo derivatum succurrit, cf. Claud. R. Pr. II pr. 37 *Amazonios cinctus* (*Amāzonum*) sim. 20,264; 7,118; - 26,565 *odiisque civilibus* (*civium*) sim. R. Pr. II 151 *virgineo* (*virginum*). Coripp. Joh. III 251 IV 195 *pondus civile* (*civium.*) Joh. V 303 *hostiles montes (hostium.)* al; incommodae voces circumscribuntur: Claud. R. Pr. I 11 *Cecropium* = *Atticum*; c. m. 30,202 *clavum* = *gubernaculum*; 5,162 *hastas* = *exercitum*; 28,74 *senatus fulgentia delubra* = *cūriam*; 3,51 al. *aetas* = *saeculum*; 17,283 *palmam* = *praemium*;

γ') De longarum syllabarum elisione.

De vocibus creticis.

Catullus[1]) quidem neglegentiorem creticorum elisionem sibi permisit, id quod ne Ennius[2]) quidem facere ausus est. Molesta enim atque gravissima talis licentia est, cum longa vocalis brevi absorbeatur. Itaque Claudianus una cum plurimis Romanorum poetis epicis creticorum elisionem respuit, quamquam in Fescenninis creticas voces ipsas exhibet[3]). Creticarum formarum elisiones Corippo quoque summo odio fuerunt[4]), qua de causa cretici elisio neque in *Johannide* neque in *panegyrico* legitur. Severitate illa optime dissentit a liberiore usu aliorum poetarum christianorum, quorum Ausonius exempli causa creticam vocem in altero pentametri hemistichio elidere non veritus est[5]). Iam priores poetae, qui creticorum elisionem spernebant, metri necessitate coacti novas formas verborumque compositiones finxerunt atque ita sermonem epicum ditaverunt atque elegantiorem reddiderunt. Poetae posteriores autem isdem vel similibus licentiis carmina ditare minime dubitaverunt[6]).

— pro *fīlium*: 18,494 *prolem*; R. Pr. I 128 *subolem*; multa al. Coripp. Joh. III 85 *Phoebi tripodas laurusque requirit* (pro: *Phoebi oraculum*), Joh. II 309 *pectus pendens* (*anxium*), VII 279; 311 *castra* = *exercitum* pro *filium*: Joh. VII 85 *natum*; Just I 148 *genitum*; II 56 *feta*; pro *filiam*: Just. II 81 *natam*; al.

[1]) cf. Bednara. pg. 16.

[2]) cf. Lachmann, Lucr. pg. 159; Luc. Mueller. pg. 342.

[3]) Ubi legimus: I 4 *ārduāe*; sim. cf. 5; 31; 38; IV 5 *aggredi*; 29 *proelii*; al.

[4]) De creticis in vocalem *o* cadentibus alio loco disseram.

[5]) cf. Prof. 4, 6 (Schenkl) Linquentem natos sexui utroque duos (Koene pg. 96).

[6]) Quo in numero etiam Claudianus et Corippus fuerunt, quorum nonnulla remedia syntactica conspiciamus: numerus singularis capit pluralis locum cf. Claud. c. m. 25,8 *triplex Gratia*; c. m. 30,88 *terna Gratia* (pro: *tres Grātiāē*); 28,250 *transfuga frequens*; 8,576 *tibia* (in veneratione Isidis). 8,548 *Ignescunt patulae nares, non sentit harenas ungula discussaeque iubae sparguntur in armos.* cf. Coripp. Joh. I 445; II 252 IV 39 al; I 230; 373 *ancora*; I 512; II 250 *bucina*; V 432 *sarcina lapsa ruit*; VI 313 *lancea* (sed cf. vers. 312). Casus

De aliis vocalibus longis.

Claudianum, quamquam non desunt elisionis longarum syllabarum in singulis carminibus exempla[1]) nunquam ausum esse longas vocales finales cum brevibus incipientibus in thesi coniungere, quis negaverit? Contra Corippus una cum Vergilio tali licentia usus in *Johannide* neglegentior quam in *panegyrico* est, quae res his documentis probatur: Joh. VI 413 *Ricinārî ăit;* 545 *compulsī ănĭmi* (cf. Aen. II 73; 451; IX 498; XI 451); VIII 200 *gavisāe ăcĭes*; 635 *turbatāe ăcĭes* (cf. Aen. VII 796; X 361; XII 548); 442 *motī ănĭmi;* 589 *magnī ănĭmi.* Lucianus Muellerus, qui *Johannidos* documenta omnino non proferat[2]), hoc carmen videtur neglexisse. Rarissime autem in thesi similis elisio legitur in Anast. 38 *in tē*

---

vocativus explet dativum: Claud. 8,411 *Prorogat alternam feritas tibi punica famam, Regule*; sim. cf. R. Pr. III 286. Adiectivum pro substantivo ponitur: Claud. 5,46 *iam nulli flebile damnum* (*nēminī*).— Bis Corippus utitur concreto abstracti loco: Joh. I 499 *privato custode*; Just. III 18 *rupto custode* (*custōdiă*). — Interdum poetae adverbio incommodo adiectivum praetulerunt: Claud. 5,302 *dum nos longissima tellus dividat* (*longīssimē*) 17,339 *mutua* = *mūtuō* (cf. Birti praef. pg. CCXXI); Coripp. Joh IV 398 (*litora*) *resultant aspera* (*ăsperē*). II de verborum usu: Carmina variis circumlocutionibus exornantur, cf. Claud. R. Pr. II pr. 34 *Stygii canis* (*Cĕrberī*) 3,362 *volucris equi* (*Pēgasī*) 5,191 *Cecropiae* = *Atticae*; vocabulorum quorundam nullum casum adhibere licebat: Claud. 18,222 *pignora* = *lĭberī*; R. Pr. II 70 *germina* = *liberos*; Claud. 5,285 *posteritas* = *pŏsterī*; Coripp. Joh. I pr. 5 *venturo generi* (*posteris*); Joh. VI 136 *extendant Tartara fauces et nigrae pallore domus* (*īnferī*); Joh. III 348 *miscuerat superis manes* (*īnferōs*, cf. Verg. Aen. IV 387); Claud. c. m. 30,104 *defuncto genitore tuo* (*mortuo*); 107 *defuncti fratris*; Coripp. Joh. I 390 *germano pariter comitante beato* (*mortuo*); 402 *beati*; item Just. I 160. Adest etiam forma intellectionis, qua pars pro toto vel totum pro parte exprimitur: Claud. 7,111 *Bistoniae . . . orae* (*Thrăciaē*) sim. 8,54 28,441; R. Pr. II pr. 8 (Bistones enim gens Thraciae erant, cf. Ovid. met. XIII 430) c. m. 18.1 *adspice morigeras Rhodani torrentis alumnos* (*Gălliaē*); 18,425 *parere clavo* (*gubernăculō*) et multa al.

[1]) cf. Birti praefat. pg. CCXVIII. Tertius lib. d. R. Pros., quem poeta imperfectum reliquit, plurima exempla continet (cf. verss. 82; 248; 260; 282; 432.)

[2]) cf. Luc. Mueller. pg. 344.

ŏcŭlos; (cf. Aen. XII 657) Just. IV 320 *quod sē hŭmĭlem* (cf. Ovid. met. XV 776 *īn mē ăcŭi*). Id denique breviter admoneam longas vocales in arsi a Corippo in utroque carmine saepe elisas esse[1]).

b) De elisione intra unam vocem admissa[2]).

Poetae duarum vocalium concursum abiecta priore, si brevis erat, vitabant, cui usui potissimum vocabula cum illo *semi* coniuncta attribuenda sunt. Catullus, Ovidius, Vergilius, alii huius vocis vocalem *i*, ubicumque altera vocalis vel littera *h* sequebatur, deleverunt, ad quod remedium, ubi aut creticus aut tribrachys imminebant, recurrere poetas metri necessitas coegit[3]). In Claudiani carminibus saepe quidem inveniuntur similes compositiones sed nusquam vocalem *i* sequitur altera, quam ob rem concursus vocalium non fit[4]). Semel autem idem poeta elisionem media in voce adhibet: 28,377 *tuos ānt(ĕ)īrent currus* (cf. Ovid. met. XI 65; XIII 366 *ānt(e)it* in versus fine). Sunt nostris quoque temporibus, qui illas formas per elisionem negent pronuntiandas esse, quamquam lectiones *semesum semanimem*, al. bona codicum fide nituntur. Quo in numero fuit Petschenigius[5]), qui

---

[1]) vocalis longa *a* octies in *Johannide*, in panegyrico quinquies eliditur (I 117; II 157; III 401; IV 207; 233); longa vocalis *e* in Joh. I 142 et decies; Just. I 46; IV 97; Anast. 38; vocalis longa *i* cf. Joh. I 205; 463; 563; 565 et vicies fere; in Just. I 265; 367: II 131; IV 343; longa vocalis *o* in Joh. duodetricies fere, in Just. novies (cf. (I. 278) *neto auro insignita*); vocalis *u* in Joh. bis (I 299; II 481) in Just. semel (II 89); dipthongus *ae* Joh. I 193 *exhaustae incendia Troiae*; al. cf. Joh. I 165; al. Just. II 119.

[2]) cf. Koene pg. 233. sq. Skutsch Γέρας pg. 143; Lindsay-Nohl. pg. 163,2; Luc. Mueller. pg. 294; 324; Corssen II. pg. 131 sqq. Schuchardt pg. 441 sqq. Bednara pg. 16.

[3]) cf. Bednara pg. 16. Ex Vergili *Aeneidos* libris profero: III 244 *sem(i)esus*; IV 686 *sem(i)animis*; XI 200 *sem(i)usta*; VIII 194 *sem(i)hominis*; Ovid. met. II 771. *sem(i)esus*; al.: XIV 209; XII 536; am. I 6. 4.

[4]) Claudianus haec verba dat: 18,171; 20,22; 28,634 *sēmivir*; 21,47 *sēmideis*; 5,65; 15, 303. *sēmineces*; 1,109 *sēmirutas*; 11,37 *sēminūdo*.

[5]) cf. Petschenigi editionem pg. 247.

commemorans solum Corippi exemplum: Joh. III 169 *ignibus in mediis sēm(ĭ)ūstum „duae vocales unam syllabam (sem iustum) efficiunt“* adnotat.

III. De contractionis generibus.

Poetae denique vocales inter se concurrentes priorem vocalem cum proxima per contractionem copulando effugerunt. Triplex contractionis usus distingui potest[1]), nam et prior vocalis in consonam mutatur et ambae vocales in dipthongum coalescunt, quae ratio synizesis dicitur, et duae pares vocales interdum littera *h* diremptae in simplicem contrahuntur, quod remedium in universum solet vocari contractio.

a) de vocali in consonam mutata.

Usum verborum illorum plerumque e sermone cotidiano sumptorum[2]), quamquam neque apud priores poetas neque apud recentissimos deest, severis legibus circumscriptum esse Claudiani exemplo confirmatur, qui nullas novas formas finxit, quin etiam, ut accuratissime in pentametro pangendo posterioris hemistichii pedes dactylicos servaret, nominis adiectivi *conubialis* vocali *u* correpta vocalem *i* anteposuit consonae[3]): c. m. 31,18 *Vectigal meritae cōnŭbĭālĕ lyrae.* Ipsius nominis substantivi *conubium* vocalis rarius in consonam mutatur (15,310 *conubium*, item c. m. 29,27; 21,3 *conubii;* R. Pr. I 34 *conubiis*), nam plerumque numerus pluralis *conūbĭă* (etiam de uno conubio) ponitur vel similis vox *coniugium* casus ineptos nominis *conubium* supplet[4]), vel variae circumscriptiones assumuntur[5]) (cf. 10,28 *alienae foedera taedae*; R. Pr. II 279 *nec indigni taedas patiere mariti;* al. 28,524 *spe propiore tori*) et saepius: *foedus* (26,76; al.) *thalamus* (cf. Birti indicem pg. 591). Nunc si, quotiens

---

[1]) cf. Luc. Mueller. pg. 281-327.

[2]) cf. Luc. Mueller pg. 288-302. Koene pg. 131; 309. Lindsay-Nohl. pg. 50-62. Lachmann. Lucr. pg. 129; Skutsch. pg. 149 sq.

[3]) cf. Luc. Mueller pg. 302 sq. P. Maas A. L.G. XIII. pg. 433. Vollmer, Stat. comm. pg. 557.

[4]) cf. Claud. c. m. 30,190; 53,41; R. Pr. I 120; c. m. 30,28; 25,57; 7,156; 21,73; c. m. 31,54.

[5]) cf. Norden, comm. pg. 285 sq.

Corippus vocalem fieri consonam iusserit, quaerimus, hic poeta non usitatas sed horridas quasdam formas sibi permisit. Legimus enim in Joh. VII 177 *dulcia consertis strinxissem pectora palmis mīscŭīssemque simul corpus complexa mariti.* Partschius autem, cui haec codicis T. lectio displicebat, maluit poni *mersa essemque*, quae coniectura supervacanea est, cum lectio tradita sententiae loci optime respondeat et usus verborum transitivorum pro intransitivis positorum apud Corippum haud rarus sit[1]). Huc accedit, quod idem poeta similia exempla etiam in aliis libris admisit: Joh. V 47 *vertice silvae commoto pārŭērĕ quati*, nisi forte correpta prima vocali *a* verbum *părŭērĕ* pronuntiandum est. Alteri quoque versui sanando editores maxime operam dederunt, qui legitur in quarto *Johannidos* libro (vers. 69), ubi codicis T. lectio: *assensere viri: castris sensere malignis paulatim temptare fugam* sensu omnino caret. Ex editorum numero Partschius proposuit *cēnsŭēre*, Amannus autem coniecit *coepere*, quibus coniecturis Petschenigi emendationem et sententiae loci et litteris traditis optime respondentem praefero: *assensere viri: castris cessere malignis.*

Maurorum nomina propria ubique fere pro vocali consonam flagitant partim in versus fine: Joh. I 478: IV 374 et saepius vox *Ilāgŭās*, partim in primo pede: Joh. V 114 *Guarsutiaeque.* Ex magno numero[2]) reliquorum nominum propriorum profero: Joh. I 468; III 77; V 8; VII 296; 522; VIII 239 *Guenfeius;* VIII 266 *Guarsana*; III 66; 107 *Guenfan*; IV 642 *Guentan*; VI 649 *Anarith ingens*, alia. Contra mensura nonnullorum verborum Latinorum dubia est, quam ob rem Petschenigius ipse, qui in verborum indice[3]) nomen proprium *Mārcĭānus* (Joh. IV 505: V 201; 231) vocali *i* in consonam mutata scribi vult, utrum (Joh. IV 504) *trĭbūnĭcjā* an *trĭbūnĭcĭā* pronuntiandum sit, haesi-

---

[1]) cf. Petschenigi verb. ind. pg. 259; Appel pg. 40 sq.

[2]) cf. Partsch. Die Berbern in der Dichtung des Coripp, Sat. Viadr. 1896 pg. 20.

[3]) cf. Petschenigi indic. pg. 247.

tat. Corippus autem praeter illas inusitatas formas, quas supra commemoravi, tali licentia abstinuit, id quod etiam prosodia substantivi *aries* probatur. Poetas scenicos quidem huius vocis tribrachys non offendit[1]) (cf. Plaut. Bacch. 241 *ărĭĕtem*; Cas. 849 *ărĭĕtis*), sed in dactylicis carminibus inde a Vergilio *i* consona legitur. Posteriorum autem poetarum primus Statius (Theb. II 492) hunc usum violavit scandens: *celsum crebris ărĭĕtĭbŭs urbis inclinare latus*, qui versus Corippi animo videtur obversatus esse, cf. Joh. II 400 *non ărĭĕtĕ cavas adducto spargere turres.* Sed haec hactenus.

Ut vocales consonarum vim accipere possunt, ita etiam contraria ratione consona in vocalem mutatur, quod remedium non deest apud optimos Romanorum poetas[2]). Claudiani quae proferuntur exempla pauca sunt nec semper certa.

Compositorum verbi *iacere*[3]) legitima prosodia, quae plerumque in carminibus eius servatur sive praepositio consona terminatur[4]), sive praepositio in vocalem exit[5]), bis praepositione correpta violatur, ita ut consona vocalis vice fungatur, cf. 8,365 *cur annos ŏbĭcis? Pugnae cur arguor impar?* et iterum R. Pr. III 134 *Procul inrita venti dicta ferant, sŭbĭcit Cybele.* Haud scio an Claudianus tertium exemplum praebeat, quod legimus in 18,366 *quod libet ingenio, sŭbĭcit traditque fruendum.* Sic scribunt codd. V. P. Π, sed Ieepius cum Bruxellensi et Vossiano codd. *subigit* praetulit, quam lectionem praeter Birtium Kochius quoque in textum recepit respuens verbum *subicit* eo quod paucis ver-

---

[1]) cf. Thesaur. ling. Lat. sub voce *aries* pg. 570. Vollmer, Stat. silv. comm. pg. 558.

[2]) cf. Catull. 66,38 dissoluo; 66,74 evoluam; 95,6 pervoluent; Ovid. heroid. XII 4 evoluisse (Bednara pg. 24) Propert. V 10. 31 Veius (trisyllabum).

[3]) cf. Mather, quomodo *iaciendi* verb. compos. in praes. temp. enuntiaverint antiqui et scripserint. Harvard Studies Class. Phil. VI. Boston 95 pg. 83—151.

[4]) Claud. 1,141; 21,301; 26,613; R. Pr. I 74; 18,358;

[5]) cf, 28,230;

sibus ante (vers. 358) diversa mensura legitur: *sūbĭcĭt*[1]). Apud Corippum bis diaeresin certe admissam inveni, cuius usus alterum exemplum, quod Petschenigius commemorat, Partschius et Luc. Muellerus neglexerunt, dico: Joh. VI 555 *armis temptare sŭasit* (sed cf. Joh. I 130 *Thetis suadebat; VI 534 armigeri suasere*). Ennio[2]) quidem diaeresis huius vocis displicuit, sed Lucretius[3]) in usu verborum qualia sunt *suadere*, *suescere* (cf. *sŭetae*: Hor. sat. I 8. 17) idem remedium adhibuit. Quem poetam Corippus hac licentia prosodiaca videtur imitatus esse, praesertim cum veteris philosophi elocutionum copiam carminibus intexuerit[4]) et aureae aetatis poetae his formis plane abstinuerint.

Omnes autem Corippi carminum editores alterum exemplum omnino rarissimum nec satis exploratum adnotare omiserunt: Joh. III 305 *dŭellum*. Hoc enim nomen substantivum natura videtur fuisse bisyllabum, quale ubique apud Plautum occurrit [cf. Asin 559; capt. 68; Amph. 189 al.[5])]. Dactylicorum poetarum Ennius primus mensuram trisyllabam admisit, quem Horatius potissimum secutus est[6]).

---

[1]) Eadem de causa Kochius in alio versu (R. Pr. II pr. 38) de corruptela cogitavit suspectans codicum verba: *dūcis ab orbe greges, tergeminique dŭcis numerosos deicis artus*. At productione et correptione eiusdem litterae versus exornare poetae iam disciplinis rhetoricis instituebantur (auct. ad Herenn. IV 21,29 sqq.). Ex Vergilio profero: Aen. IV 238 *pārere părabat*; X 191 sq. *cănit . . . cānentem*; G. II 328. *āvia . . . ăvibus*; sim. (cf. Norden, comm. pg. 188). Atque Kochius pro '*incommoda voce*' *ducis* mavult poni nomen *viri* ex Ovidi Trist. IV 7. 16 sumptum. Ea autem coniectura non solum verborum lusus optimus deletur, qualia orationis ornamenta apud hunc poetam non desunt (18,274 *et telus*, *non tela pati*; 28,487; al. cf. Birti adnot. praef. pg. XLV. 5) sed etiam distichorum compositio magnopere turbatur.

[2]) cf. Enni ann. 248 *suadet* (in versus fine) ann. 375 *suasorem* (initium versus continens) ann. 122; 250 ubique *suavis*;

[3]) cf. Luc. Mueller. pg. 308 sq.

[4]) cf. Amann. pg. 3 sq.

[5]) cf. Lindsay-Nohl. pg. 307; Klotz, Grundzüge altrömischer Metrik Leipz. 1890 pg. 484. O. Keller. pg. 17; A. Klotz A. L. G. XV. pg. 403.

[6]) cf. Horat. c. III 5. 38 *Pacem duello miscuit*; 14.18 *duelli*; IV 15. 8 *duellis*; epist. I 2. 7 *duello*; II 7. 254 *duella*.

Sed Catullus, Vergilius, Ovidius, Claudianus hanc formam omnino vitaverunt. Si denique versum Ennianum (ann. 549) *pars occidit illa dŭellis* cum nostro *Johannidos* loco (Joh. III 305) *At Stutias orsus nostra de parte dŭellum* comparamus, similitudo quaedam utriusque locutionis non debet negari, etiamsi libros Ennianos ipsos iam non in Corippi manibus fuisse concedimus [1].

Superest, ut duo consonae in vocalem mutatae exempla haud satis certa tractemus. Semel codice T. traditur *sŭbĭcit victos inter timor ire camelos* (Joh. VI 511), quod verbum Bekkero monente Partschius et Petschenigius recte in *sŭbĭgit* correxerunt, praesertim cum similem locum legamus (Joh. VI 34) *victos hostes dare terga subegi* et verbum *subigere* significans *cogere* sequente infinitivo etiam apud Vergilium exstet (cf. Aen. III 257; VI 567). Alterum exemplum a nullo editore inveni adnotatum, dico Just. I 274 *Exequiis ădĭcit solito plus dona paternis ireque contractas denso iubet agmine turbas.* Equidem verbum ipsum retinendum esse censeo sive tali mensura admissa [2] sive verborum collocatione mutata: *ădĭcĭt exequiis* (cf. Ovid. met. II 384 *luctibus adicit iras*).

b) De synizesi.

1) de synizesi Latina [3].

Huc spectant dipthongi *eu oi ui.*

α) Dipthongum *eu* antiquissimis temporibus ignotam et postea vocalibus casu coalescentibus ortam [4] non sprevit c. m. 23,16 *Neuter enim quaestor, pauper uterque fuit.* Quem versum Ieepius frustra suspectat, nam cum alio quoque Claudiani loco optime tradito dipthongus *eu* comprobetur (cf. 8,81 *evadere neutri* in fine hexametri), studium, quo Ieepius hanc dipthongum verborum collocatione mutata delere

---

[1]) cf. R. Foerster apud Amannum pg. 3.

[2]) cf. Sil. 17,528 *adicit*; Stat. Theb. 7,4 *adici* (Thes. ling. Lat. pg. 666).

[3]) cf. Lindsay-Nohl. pg. 42—50.

[4]) cf. Lindsay-Nohl pg. 44. Birti praef. pg. VIII 4 et Mus. Rh. XXXIV. pg. 10.

studet[1]), supervacaneum est. Nunc breviter reliqua dipthongi *eu* exempla, tractemus. Forma *ceu*[2]) saepissime apud Claudianum (cf. 1,202; 3,275; 18,130; 22,215; 28,656; al.) et Corippum adest (cf. Joh. III 256; IV 16 [T. dat *seu*] 54; 155; 395; V 186; 443; VI 345; VII 166; 210; VIII 186; 536; 655; Just. I 323; 330). Idem fere de forma *neu*[3]) potest dici, cuius usus inveniuntur permulta exempla apud Claudianum (cf. 3,244; 18,440; 10,205; 8,278; 303; 339; 18,235; 475; R. Pr. I 64; III 25), ne unum quidem, nisi fallor, apud Corippum.

β) Porro uterque poeta duriore dipthongi *oi*[4]) synizesi, quae bis in Vergili carminibus legitur (cf. Aen. XI 383; 400 *proinde*) uti veritus est.

γ) Conspiciamus denique dipthongum *ui*: Mensura pronominis *cui*, quod a prioribus poetis semper pronuntiatur per synizesin, a Seneca primo[5]) violatur, qui novit *cui* bisyllabum. Poetae nostri autem priscam prosodiam huius pronominis ab optimis prioribus poetis usurpatam ubique retinent. Cuius usus nonnulla exempla sequantur: Claud. 15,235; 278; 8,605 semper in initio versus; cf. Coripp. Just. II 86 IV 234 *cuique* (in arsi quinti pedis). Finiamus Latinam synizesin mensura pronominis demonstrativi *huic*, quod Statii temporibus bisyllabum occurrit (cf. Silv. I 1, 107; 2,135 *hŭīc*, quae prosodia codice Matritensi et testimonio Prisciani firmatur[6]). Sed unico fere loco, quo apud utrumque poetam nostrum hanc pronominis formam inveni, adest synizesis (cf. Claud. 24,279 *praebŭīt huic*; Coripp. Joh. II

---

[1]) Ieepius verba transponit sic: *quaestor enim nĕŭter.*

[2]) cf. Lindsay-Nohl. pg. 140; 697.

[3]) cf. ibidem pg. 139 sq. 704.

[4]) cf. Luc. Mueller. pg. 317; Lindsay-Nohl. pg. 43.

[5]) cf. L. Mueller. pg. 318 sq. Leo. de Senecae tragoediis observ. critt. I pg. 90.

[6]) cf. A. Klotz. A. L. G. XV pg. 403; Vollmer, comm. Stat. silv. pg. 557 sq. cf. Lindsay-Nohl. pg. 50.

110 Just. II 198 *huic*, nam pronomen initium versus continet).

2) De synizesi Graecanica.

Praeter Latinam synizesin Graecanicam quoque novimus, cuius usum Catulli temporibus ortum modesteque adhibitum esse Luc. Muellerus[1]) docuit. Tali licentiae poetae Augusti quoque aetate magnam curam adhibuerunt et metro coacti formis illis ubique fere sexti pedis locum concesserunt. Apud Claudianum synizesis Graecanica partim initium versus partim sextum hexametri pedem continet.

α) in versus initio:

Compluries in Claudiani carminibus nomen proprium *Theodosius* extat, cuius vocis Graecanicam dipthongum *eo* Birtius secutus deteriores tantum codices in Latinam *eu* commutavit. Sed meliorum codicum scripturam *Theodosius* tenendam esse versus ille in C. I. L. III 737 collocatus docet: *Omnia Theodosio cedunt subolique perenni*[2]). Id unum moneam iam Ennium, quem alii secuti sunt compluribus locis Homerum imitatum synizesin illam primum versus pedem tenere iussisse,[3]) quam ob rem Claudianum idem fecisse his exemplis veri simile fit: 3,51; 22,422; c. m. 30,98 *Theodosius*; 15,216 *Theodosii*; relinquitur autem unum exemplum (22,52 Hac tu *Theodosium* . . .), quod eodem versus pede continetur ac vox e C. I. L. III 737 sumpta.

β) in versus fine:

Accedunt casus obliqui nominum propriorum a Graecis receptorum et in *eus* exeuntium. Tales formae, nisi propter creticum imminentem alia remedia arcessenda erant[4]), in

---

[1]) cf. Luc. Mueller. pg. 325 sqq. Bednara pg. 23 sq.

[2]) cf. Kochi adnotationes criticas pg. XIX. F. Buecheler, carmina Latina epigraphica II (313; 314 *Theodosius*; 285; 287 dipthongus *eu* in arsi secundi pedis occurrit).

[3]) cf. Skutsch, Γέρας pg. 148 sq. Menrad, de contract. et synizesis usu Homerico (Muenchen 1886).

[4]) Ex Claudiani carminibus raptim profero: 17,252 *Orphēos cantus* pro: *Orphĕō dignos* (cf. Ovid. met. X 3 *Orphēa voce*); 26,23 *velleris aurati* = *aurei*; 18,82 *aerata* . . *in turre* = *aēneā* (cf. Horat. carm. III 16,1); 22,374 *ferratis catenis* pro: *fērrĕīs*; et multa alia.

fine versus tantum collocatae dactylico metro adaptari poterant. Quod Claudianus, qui in hoc usu multo cautior Vergilio [1]) est, rarissime sibi permisit: c. m. 31,33 *Orphei;* 26,63 *Typhoeo*; sed nusquam nominum Latinorum synizesin illam admisit, id quod priores poetae facere non veriti sunt [2]). Apud Corippum Graecanica verba plane desunt, Latina quidem in fine hexametri occurrunt sed rarissime: Joh. VI 488 *medium cum fluminis alveum alternae posuere acies.* Claudianus autem, cui talis synizesis displicet, Ovidi (am. II 13, 9 *ālvĕō*) et Vergili (Aen. VI 412; IX 32 *ālvĕō*) et Stati (Theb. IX 225 *ālvĕō*) exemplis despectis e verborum copia depromit secundariam [3]) formam *alvo* (R. Pr. II 126).

γ) intra versum ipsum:

Semel Corippus medio in versu scripsit *per cunctos aditus crebris ālvĕāria linquunt exitibus* (Joh. I 436), quo loco Vergilianus quidam versus (G. IV 34) poetae videtur obversatus esse [4]), semelque synizesin in tertio *Justini* libro (vers. 242) legimus: *horrescunt lāncĕās saevasque instare secures* . . .

c) De duabus vocalibus in simplicem contractis.

Superest, ut tertium contractionis genus [5]) enarrem, cuius duplicem usum distinguam:

1) Eaedem vocales littera *h* dirimuntur.

α) de pronomine personali *mihi* et *mi* [6]).

Priores poetae epici utuntur et longa vocali plenae vocis (cf. exempli causa Ovid. met. V 494; XIII 35 *mĭhī*)

---

[1]) cf. Aen. I 41 *Oilei*; VIII 383; X 764 *Nerei*; IX 716 *Typhoeo*; X 129 *Menestheo*; al.

[2]) cf. Norden. comm. pg. 212; Bednara. pg. 24; Verg. B. III 96 *reice*; Aen. X 496 *baltei*; al. Vollmer, comm. Stat. silv. pg. 557.

[3]) Bis in nom. sing. plena forma adest: 1,227; 5,468 *alveus.* cf. Thes. l. l. I pg. 1788; 1791.

[4]) Apud utrumque poetam enim apiariorum mentio fit: cf. Verg. G. IV 22 *ludetque favis emissa iuventus* ⟶ Coripp. Joh. I 435 *iussisque favens festina iuventus*; 35 ⟶ 431 *aditus*; item 68 sq. ⟶ 433 sq; 76 *magnisque vocant clamoribus hostem* ⟶ 437 *raucisque acuunt stridoribus hostes*; 77 sq. *camposque . . . erumpunt* ⟶ 438.

[5]) cf. Luc. Mueller. pg. 294—98; Koene pg. 69; 80; 121.

[6]) Neue II³ pg. 349; Lindsay-Nohl. 66; 484.

et correpta vocali eiusdem vocis (met. I 197; 507 al.: *mĭhĭ*) et contracta forma (met. IX 192 *mî*), quae neque Claudiani neque Corippi carminibus intexitur. Contra plenae formae saltem occurrunt et apud Claudianum (10,29; 43; 15,60; c. m. 22,43 al. *mĭhī*; 10,37; 130; 26,307 al. *mĭhĭ*) et apud Corippum (Joh. pr. 36; II 23; Just. pr. 38; Anast. 23; 24; al.).

β) de adverbio *nihil* et *nil*[1]).

In usu utriusque formae poetae epici priores cum posterioribus plane congruunt, id quod compluribus exemplis illustretur. Est enim adverbium bisyllabum apud Vergilium (saepe) Ovidium (met. VII 644 *nĭhīl*, at VII 830 al. *nĭhĭl*). Claudianum (*nĭhĭl* pyrrhichiacum, id est in thesi ante vocales positum: 8,100; 434; 18,181; 359; 21,37; 20,498; al.) Corippum (*nĭhĭl* Joh. VII 307 al.). At contractionis exempla haec fere sunt: Verg. Aen. IX 207; Ovid. met. I 742; VIII 140 al. Claud. (in metri capite ante consonas: 17,265; 28,592; 26,177; ante vocalem: 18,287; porro in thesi ante vocales 17,4; 28,55; ante consonas: 21,283; bis 26,177); Coripp. Joh. VIII 545 (in ars. IV ped. ante cons.) Just. I 140 (in thes. IV ped. ante voc.) Just. IV 177 (in thes. II ped. ante cons.) al.

γ) de verbo *prehendo* et compositis[2]).

Memoria tenentes Luc. Muelleri verba: D a c t y l i c i u t r a q u e f o r m a u s i s u n t s e d p o t i u s b r e v i o r e differentiam quandam inter priorum poetarum et nostrorum usum intercedere statim cognoscemus. Nam Claudianus et Corippus ubique contractas formas tantum adamaverunt, quae sunt: Claud. c. m. 38,3 *deprensas* (*dēprĕhēnsas*); 3,355 *deprendit*; 7,207 *deprendite;* R. Pr. III 431 *deprendam;* c. m. 29,8 *deprendere;* R. Pr. II 266 *deprensae* (verbum simplex aliaque composita desunt). Corippus et simplicis verbi infinitivum *prendere* (Joh. I 96; 255; II 234; III 239; VII 456; 463;

---

[1]) cf. Luc. Mueller. pg. 295 sq; Lindsay-Nohl. pg. 67; 166; 251.

[2]) cf. Koene. pg. 235; Luc. Mueller. pg. 295; Corssen II pg. 714; Lindsay-Nohl. pg. 67; 165; 541; Bednara. pg. 25 sq.

VIII 611; Anast. 4) praebet et compositi *comprendere* (Joh. IV 635; Just. III 403).

2) Vocalis vocali tangitur.

Huc pertinet verbum *deesse*[1]), cuius formae duplicem vocalem *e* praebentes per contractionem sunt pronuntiandae: Catull. 64, 151 *deessem.* Claud. 18,243 *sentit iam deesse viros;* 28,351 *praesidium Latio non deesset Olympi.* Corippus autem hoc verbum omnino vitavit, ut hunc duplicis vocalis *e* concursum iam Vergilius praeter unum exemplum (cf. B. VII 7 *vir gregis ipse caper deerraverat*) vitavit. Id unum breviter adiciam a Statio praeter formas bisyllabas: *deesse; deerat;* etiam duplicis vocalis *e* collisionem (cf. Theb. VIII 236; al.) admissam esse[2]).

B. De consonarum vi coeuntium.

Secundum commentationis caput ipsum tres partes complectitur: I positionem adhibitam II ambiguam III spretam. Prima igitur quaestio erit:

I. de positione adhibita.

a) in concursu duorum vocabulorum, qua in re duplex positionis genus et usitatissimum et rarissimum distinguimus.

1) Syllaba brevis enim in consonam exiens altera consona vocem sequentem incipiente producitur, cuius usus apud omnium temporum poetas notissimi pauca exempla commemorare satis est, Claudiani: R. Pr. III 329 *Cĕrĕrīs de stirpe;* 18,350 *ălĭquīs gravior;* 20,383 *ălĭŭs lanam;* c. m. 30,66 *gĕnĕrăt, qui;* 8,396 *ănĭmūs dum;* al. Corippi: Joh. I 80 *erĭpŭīt ductor;* 100 *Urbĭcĭŭs sapiens;* 241 *mĕdĭŭm pelagus;* 254 *tĭmŭīt tamen;* 418 *contĭgĕrăt: campis;* al.

2) Syllaba brevis in vocalem exiens duabus consonis sequentibus producitur. Dactylicorum poetarum primus hunc quoque usum e Graeca lingua in carmina Latina transtulit

[1]) cf. Luc. Mueller. pg. 295.

[2]) cf. Vollmer, comm. Stat. silv. pg. 557. A. Klotz. Klassizismus u. Archaismus. Stilistisches zu Statius. A. L. G. XV.

Ennius[1]), quem secuti sunt Catullus, Tibullus, Lucanus, Statius[2]). Claudianus autem una cum Ovidio[3]) tali licentia abstinuit, a qua utriusque poetae severitate Corippus discrepat. Hic enim poeta sine dubio brevem vocalem ante duas consonas insequentes produci septies iussit. Bis necessitati metri satisfecit accommodans tribrachyn versui: Joh. V 276 *mĕdĭā stravere per arva*; Just. III 265 *offĭcĭā stratos*; bis porro brevis vocalis productio in arsi exstat: Joh. IV 263 *iussā spectare;* V 294 *vallē stravit*; sed minus excusatur insolentior particulae *que* positio, quae in thesi occurrit: Joh. VI 582 *aciesquē stare;* VIII 46 *portuquē stare*; 605 *fortemquē sternit.*

Interdum autem Claudianus in usu nominum Graecorum ad exemplum Catulli (64,357) Ovidi (met. II 24; am. II 6, 21) aliorum[4]), qui ipsi Homerum imitabantur[5]), positionem neglexit, 10,88 *trabĭbusquĕ smaragdi*; 28,563 *collă smaragdos*; 8,586 *filă smaragdis;* itemque: 22,89; c. m. 47,8; c. m. 48,7. Nusquam autem neglectam positionem in usu nominum propriorum sibi permisit, (cf. c. m. 28,19; 3,289, 10,158; 15,476; 10,310; 26,178; 5,523; R. Pr. I 22; al.), quin etiam talia vocabula versus initium obtinent (cf. 7,193 Brontes; 8,134 Cretaque; 3,253 Sciron; 18,294 Scylla; c. m. 4,8 Gnosos[6]); al.). Quod ad neglectam vocabulorum Latinorum positionem attinet, Claudianus omnino non admisit collocationem vocis in brevem vocalem exeuntis, quam duae consonae sequuntur compositione mut. cum liquida (*l;r*) excepta. Qua in re similem fere elegantiam Corippus assecutus est,

---

1) cf. Luc. Mueller. Quintus Ennius, Einleit. in d. Stud. d. röm. Poesie (Petersb. 84) pg. 237.

2) cf. Luc. Mueller. d. r. m. pg. 390; Leo. de Sen. trag. I pg. 203.

3) cf. Bednara. pg. 12 (sed cf. Ovid. met. VII 265 seminaquē floresque; VIII 527).

4) cf. Luc. Mueller. pg. 386; Vollmer, comm. Stat. pg. 556. Bednara. pg. 12.

5) cf. Hom. Il. M. 21 δῖός τε Σκάμανδρος; X 148 ἀναΐσσουσι Σκαμάνδρου.

6) cf. Stat. silv. V 1, 232 *lucidă Gnosis.*

cui bis tantum positio illa neglecta placuit: Joh. III 30 *inquĕ statu;* IV 13 *nominĕ scripta.* Cum ceterum talis licentia apud poetas aureae aetatis partim omnino non legatur partim gravi interpunctione satis obscuretur[1]), contra non desint similia exempla apud poetas archaicos, quorum ex numero profero: Lucilium[2]) (IX 375) *accurrerĕ scribas* et Lucretium[3]) (V 79) *liberă sponte* et Horatium, qui in saturarum compositione, id quod ipse concedit (sat. I 4,56) a Lucilio pendet (cf. sat. I 3,44 fastidirĕ strabonem; 5,35 praemiă scribae; 2,30 fornicĕ stantem; 2,71 velatumquĕ stola; 10,72 saepĕ stilum; II 3,43 mală stultitia; 3,296 mihĭ Stertinius[4]), suspicati vix fallimur Corippum formas illas supra commemoratas (Joh. III 30; IV 13) sive ex archaicis poetis hausisse sive simili ratione ad eorum exemplum finxisse.

b) de positione intra unam vocem admissa.

Cui parti syncopam[5]) insero, propterea quod poetae epici saepissime metro coacti intra vocabula ipsa brevi vocali detrusa concursum consonarum vel positionem petiverunt.

1) de nominibus.

α) de vocibus in tribrachyn cadentibus.

Ut iam in sermone vulgari formae per syncopam ortae usitatissimae erant, ita epici poetae propter tribrachyn imminentem libenter ad breviores voces recurrebant. Plautus quidem semper *bălĭnĕum* scribere poterat[6]), cuius nominis praeter numerum pluralem per syncopam formatam *bālnĕă* (cf. Ovid. a. a. III 640; Claud. c. m. 12,4) reliqui utriusque

---

[1]) cf. Verg. Aen. XI 308. *Ponitĕ: Spes sibi quisque;* (cf. Lindsay-N. pg. 151).

[2]) cf. Bednara. pg. 12.

[3]) cf. Lindsay-Nohl. pg. 151.

[4]) cf. Horat. sat. ed. Kiessling & Heinze pg. XIX.

[5]) cf. Luc. Mueller. pg. 456; Lindsay-Nohl pg. 195 sqq. Norden. comm. pg. 449 sq. Corssen II² pg. 523 sqq. Skutsch. Jhb. f. Phil. Sppl. XXVII 84,2; Bednara. pg. 24 sq.

[6]) cf. Bednara. pg. 25.

numeri casus epico metro summas difficultates parabant. Etiam *cŏlŭmĕn*, quod apud Catonem et Varronem legitur [1]), in dactylicum metrum non quadrat, ut Claudiano quoque breviata forma ubique opus esset: c. m. 53,72; 26,355; 19,5 *culmine*; 24,108 *culminis*; 1,229; 20,26; 22,187; al. *culmina*; 3,205 *culminibus*; 17,16; 28,64 *culmen*. Sequatur substantivum *maniplus* [2]) ab epicis pro molestissima forma *mănĭpŭlus* usurpatum: Claud. 5,220; 18,255 *manipli* 21,334; 8,35 *maniplis*; 15,416 *maniplos* (semper in versus fine); Coripp. Joh. I 440; II 251; IV 455; 473 *maniplis*; Joh. VIII 540 *maniplos* (ubique in versus fine). Spectemus denique casus vocis *tegmen* [3]) ex prisca forma *tĕgŭmen* derivatae, quae apud epicos non invenitur: Claud. c. m. 37,1 *tegmine* (*tĕgŭmĭne*); Coripp. Joh. V 140; VI 738; VIII 517 *tegmine*; Joh. V 321 *tegmina*; Joh. IV 560; V 471 *tegminibus*.

β) de dactylo in consonam *m* exeunte.

Tales formas ab utroque poeta nunquam elisas esse at syncopa adhibita multorum vocabulorum casus nom. et acc. numeri singularis versui adaptari posse nonnullis exemplis allatis statim videbimus: *periclum* (pro *pĕrĭcŭlŭm*) Claud. 20, 392; Coripp. Joh. III 221; 309; IV 143; 238; VI 235; VII 397; VIII 355. — *dextrum* (quod substantivi et adiectivi vice fungitur) Claud. 1,87; Coripp. Joh. V 742; VI 516. *dextram* Joh. II 476.

γ) de cretici formis in longam vocalem vel syllabam cadentibus. Huc pertinent reliqui casus num. singularis et pluralis praeter nominativum et accusativum numeri pluralis. Nunc brevissime exempla notissima perlustremus: *gubernaclis* Claud. 28, 139; *pericli* Claud. 3,264; *periclo* Claud. 28, 244; 26, 3 al. Coripp. Joh. I 27; V 93; *periclis* Claud. 21, 92; 20, 368 al. Coripp. Joh. I 43; 138; II 232; 268; 315 et saepius [4]); *saeclis* Claud. 26,289; 635; c.m.30,10; *saeclorum*

---

[1]) cf. Koene. pg. 116 sq. Neue. IV pg. 92.

[2]) cf. Neue I pg. 817.

[3]) cf. Koene. pg. 116. Neue I pg. 242.

[4]) Cuius vocis syncopa etiam apud priores poëtas saepissime occurrit (cf. Norden. comm. pg. 147).

Coripp. Just. II 341, quam formam in eodem quarto versus pede iam Catullus (64,22) adhibuit; *vinclis* Claud. 26,69; 21,239; c. m. 18,15; al. Coripp. Just. II 105. Adiciamus denique vocis *dexter* formas:[1]) *dextrō* Claud. R. Pr. II 49; Coripp. Joh. IV 472; 572; *dextrae* Claud. 18,370; 3,81; al. Coripp. Joh. VII 54: VIII 347; *dextrā* Joh. IV 307; 399; 469; VI 673; VII 464; *dextris* Joh. IV 167; VII 423; Just. IV 309; *dextras* Joh. VIII 54; Just. IV 145; al.

δ) de formis commoditati concessis.

In casu nominativo et accusativo numeri pluralis epici poetae interdum syncopam admittunt, etiamsi plena forma metro commodissima est. Agitur enim de his fere utriusque poetae exemplis: *saecla* semel apud Claudianum exstat (22,454; cf. Catull. 78,9), at saepissime *saecula*. Satis frequenter legitur *vincla*: Claud. 3,235; 5,483; 17,170; 26,128; al. Coripp. Joh. I 20; II 132; V 489; Just. III 123; 251; item promiscue adest in numero singulari lectio *dextră*: Claud. 8,522 (in primo pede); c. m. 50,13 (in fine versus); Coripp. Joh. VIII 539; *dextera* Claud. 21,38; 24,326; 26,31; Coripp. Joh. II 468; IV 156; 246.

2) De verbis.

Etiam in usu verborum saepe fit, ut plenae formae partim a dactylico versu seclusae sint partim metro non cogente brevioribus per syncopam ortis praeferantur. Sic Vergilius dixit Aen. VIII 274 *pōrgĭtĕ* (pro: *porrĭgĭtĕ*), Statius silv. IV 9,29 *replictae*; al. Silius IX 458 *porgebat* (*pōrrĭgēbat*), Val. Flaccus II 656 *porgens* (*pōrrĭgēns*) al[2]). Apud Claudianum et Corippum autem ubique plenae formae in deliciis habentur: Claud. 8,442; R. Pr. I 153 *porrigit*; 1,123; 5,470 *porrigitur*; c. m. 26,1 *porrigis*; Coripp. Just. I pr. 37; I 12 *porrige*, contra Claudianus propter creticum et tribrachyn imminentem breviatas formas verbi *surrĭgĕrĕ*[3]) semper ex-

---

[1]) cf. Koene, pg. 211; Luc. Mueller, pg. 482; Bednara, pg. 25.

[2]) cf. Luc. Mueller, pg. 456; Lindsay-Nohl. pg. 204; Neue II pg. 902; Koene. 159; Vollmer, comm. Stat. pg. 557.

[3]) cf. Neue III pg. 541.

hibet, quae sunt: 1,4; 3,74 *surgant* (*sūrrĭgānt*) 1,116 *surgunt*; 9,1 *surgeret*; 28,593 *surgentia;* 17,264 *surgite* (*surrĭgĭtĕ*). Contraria ratione idem poeta breviatis formis verbi *surripere*, quibus exempli causa Lucretius (II 314) et Horatius (sat. II 3. 283) utuntur, ubique plenas praetulit: 10,139 *surripit*; c. m. 32,17 *surriperes* (*sūrpĕrēs*) 21,346 *surripuit*.

Semel denique similitudo quaedam inter Corippum et Vergilium intercedit. Legimus enim apud Corippum: Joh. VI 436 *composta pace recedunt*, qualem verborum compositionem ex primo *Aeneidos* libro (vers. 249) videtur hausisse, ubi invenimus: *compostus pace quiescit*[1]). Qua verborum compositione Vergilius ipse Varronem Atacinum fortasse imitatus est (fr. 7 Baehr: *placida composta quiete*), nisi iam priores poetae similiter dixerunt[2]).

II. De positione ambigua.

a) de positione, quae vocatur debilis[3]).

1) de admissa positione.

Syllaba brevis, quam sequitur consona muta cum liquida coniuncta inde a Lucilianis temporibus[4]) ab epicis poetis interdum producitur, atque usus ille prosodiacus a veteri Latinorum poesi discrepans cur usque ad ultimam aetatem valuerit in singulis quoque Claudiani et Corippi carminibus cognoscitur. Triplicem potissimum rationem distinximus:

α) metri necessitas causa huius remedii est, nam evitandus est saepe tribrachys: Coripp. Just. pr. 4 *cŏlūbrĭmŏdis capillis* (similiter iam Ovidius egit: met. V 241 *colūbriferi*), item nonnulli casus nominis *tonitrus* positionem flagitant: *tonītrua*, quam mensuram Claudianus ter fere (17,108; 210; 5,222) exhibet (bis Ovidius in met. I 55; XII 52; cf. etiam met. XI 496 *tonītribus*), praeterea *ludībrĭă* pro *lūdĭbrĭă*, cf.

---

1) cf. Neue, III pg. 533.

2) cf. Norden, comm. pg. 127.

3) Conrad, Über die Entwicklung d. Positionsgesetzes. Coblenz 1868.

4) cf. Norden comm. pg. 317; Bednara. pg. 19sq. Lindsay-Nohl pg. 150.

Claud. 26,110; R. Pr. III 264; *pātrĭcĭus* Claud. 18,109 alia [1]).

β) In versus fine inprimis positio adamatur commoditatis et imitationis gratia, cum poetis nostris versus clausulae, quales frequentissime in priorum epicorum carminibus legebant, valde placuerint. Nonnulla exempla haec sunt: *colūbris* Claud. 3,134; R. Pr. III 145 [2]), *latēbras* Claud. 18,466; R. Pr. III 118; 207 et Coripp. [3]) Joh. IV 42; V 532; VII 394; Just. IV 24, *latēbris* Joh. III 46; IV 606 (cf. Verg. Aen. III 424; Ovid. met. I 388). Accedunt variae formae productae vocis *pharetra*, cf. Claud. 19,59; 26,494; 7,20; 24,269; al., *tenēbris* Claud. 8,222; 26,36; 18,459; Coripp. Joh. I 244; III 174; V 526; VI 9; VII 157, *tenēbras* Claud. 3,235; Coripp. Joh I 256; II 421; V 53; Just. II 103; IV 121, *tenēbrae* Joh. IV 71; VI 611, *volūcres* Claud. c. m. 9,1; 31,3; 20,408; 22,418; Coripp. Joh. VIII 284; Just. I 199 (cf. Verg. Aen. IV 525; III 241), *volūcris* Coripp. Joh. VI 288 (cf. Ovid. met. XIII 607).

γ) Positio admissa efficit, ut voces quaedam in multos versuum pedes quadrent, qui usus vel uno Claudiani exemplo allato satis illustratur: R. Pr. I 238 *Cyclopum* (in arsi primi pedis), R. Pr. III 117 *Cyclopum* (in arsi secundi pedis), *Cyclops* (7,192; c. m. 30,24) et *Cyclopum* (22,27) in thesi tertii pedis, denique *Cyclops* (R. Pr. II 175; III 355) in arsi sexti pedis. Eadem vox semper producitur apud Vergilium (Aen. III 644; 678; al.) et Ovidium praeter unum exemplum in met. I 259 positum *manibus fabricata Cy̆clopum*, quem versum Claudianus imitatus isdem verbis in carmen suum transtulit (cf. R. Pr. II 250).

2) de spreta positione.

Etiam hic triplici potissimum ratione poeta videtur commotus esse, ut brevis vocalis naturam retineret.

---

[1]) cf. etiam Claud. 5,39 *Hādriacas . . . undas* (Propert. I 6. 1 *Hădriae*).

[2]) cf. Verg. Aen. VI 419; G. II 320; al.

[3]) Quin etiam idem poeta semel medio in versu vocalis productionem sibi permisit: Joh. III 177 *latēbras quaerere saxis*.

α) Primo loco metri necessitatem commemoro, quae saepe poetam antispastum effugere cogit. Ubique agitur de adiectivis ex substantivis derivatis: Claud. R. Pr. II 168 *lătĕbrōsă* ... *devia* (pro: *lătēbrōsă*), 24,313 *latebrosis frondibus* (cf. Verg. Aen. VIII 713 *latebrosaque*); Claud. 21,55 *phărĕtrātă*; 24,242 *phărĕtratarum* (similiter Vergilius Aen. XI 646 *phărĕtrātă Camilla*); Claud. 3,57 *tĕnĕbroso*; R. Pr. II 329 *tĕnĕbrōsă* (cf. Verg. Aen. V 839; VI 107; Ovid. met. I 113; al.); sequantur verborum formae brevem mensuram flagitantes: Claud. 18,472 *cĕlĕbrātĕ (cĕlēbrātĕ)*; 1,261 *cĕlĕbrābĭtŭr undis*; 26,15 *celebrata*; 26,547 *pĕnĕtrābĭs ad urbem*; 28,473 *pĕnĕtrāvĕrĭt agmina*; c. m. 25,64 *pĕnĕtrāvĭt amor*. Deinde producta syllaba creticus fieret: Claud. 22,261 *lăcrĭmābĭlĕ nomen (lăcrĭmābĭlĕ)*; 26,407 *lăcrĭmōsă*; poetis ubique spernenda est positio in casibus obliquis verborum, qualia sunt: *patrius*, *vitreus*; de subst. *vĭtrum* duo versus commemoratione digni sunt: Horat. c. III 13. 1 *splĕndĭdĭŏr vĭtrō* et Ovid. met. XIII 790 *splĕndĭdĭŏr vĭtrō*. Dactylus denique in consonam *m* exiens his formis vitatur: Claud. 20,535; 18,306; 28,139 *lūdĭbrĭum* (pro: *lūdībrĭum*), 24,116 *ărbĭtrĭum plebis* (pro: *arbĭtrĭum*) al.

β) Versus clausulae gratia ab epicis plerumque in usu verborum trisyllaborum positio spernitur: Claud. 15,39 *rĕpletos*; 20,238 *rĕpletus*, sim. R. Pr. III 37. 26,400; R. Pr. II 349 *rĕpressit*; 26,197 *rĕclusis*; 24,331 *rĕflexi* al. Coripp. Joh. III 118 *rĕclaudunt*; 164 *rĕclauso*; II 387 *rĕflectunt*; V 123 *rĕtractans*; Just. II 22 *rĕplevit*[1]) alia.

γ) Intra versum denique magnus nominum trisyllaborum numerus positione spreta pluribus pedibus quam adhibita potest inseri. Claudiani et Corippi exempla, quae proferam a prioribus epicis plerumque iam usurpata sunt: *lătĕbris* Claud. 8,512; c. m. 26,41; (Ovid met. I 216); *phărĕtrae* Claud. 8,533; *phărĕtram* R. Pr. II 242; *phărĕtras* 5,80 Coripp. Joh. I 441; II 276; *phărĕtris* Joh. V 3; *tĕnĕbris* Claud. 20,231; 8,172; 17,129 al. Coripp. Just. II 157; *tĕnĕbras* Claud. c. m. 53,48; *tŏnĭtru* Claud. 22,27; c. m. 51,13 Coripp. Joh. V 396

---

[1]) cf. Joh. VI 346 *rĕplens*; Just. IV 171 *rĕplet* (in sexto pede).

vŏlŭcrem Claud. c. m. 53,21; *vŏlŭcrum* Claud. 6,13; Coripp. Just. III 50 (cf. Verg. Aen. III 216; VIII 456); *vŏlŭcri* Coripp. Joh. VI 643 (Aen. X 440); *vŏlŭcres* Claud. 26,545; c. m. 25,105 Coripp. Joh. IV 139; V 2; VIII 520; Just. IV 23; (cf. Aen. VII 33; Ovid. met. I 75).

b) De literae *h* positione.

1) de positione effecta.

Literae *h*, cui natura positionem efficiendi vis minime inest[1]), interdum iam a prioribus poetis, ut consonae vice fungatur, conceditur, qua licentia Claudianus et Corippus quoque etsi rarius usi sunt. Singula utriusque poetae exempla perlustremus:

α) Claudiani.

R. Pr. III 145 *Sic aestuat ales,*
quae teneros humili fetus commiserit orno,
allatura cibos et plurima cogitat absens:
ne gracilem ventus decusserit arbore nidum,
ne furtum pateat hŏmini, ne praeda colubris.

Diversa est codicum lectio, nam F'C dant *pateat*, A *pateant*. Numerus pluralis *pateant* haud scio an singulari *pateat* sit anteferendus[2]), praesertim cum verbum *pateant* optime cum illo *teneros fetus* coniungatur. Anxia enim ales non tam de nido, quam de natis ipsis metuit, qui in nido iacent, ne praeda hominum vel colubrarum fiant.

21,157.
Hic mitra velatus Arabs, hic crine decorus
Armenius; hic picta Saces fucataque Medus,
hic gemmata niger tentoria fixerat Indus;

Praeter pravam lectionem cod. A: *Armeniis* reliquis omnibus codicibus *Armenius* traditur et ab editoribus comprobatur.

---

[1]) cf. Luc. Mueller. pg. 391; Lindsay-Nohl. pg. 62sqq.
[2]) Hanc lectionem etiam Birtius in textum recepit.

15,87. *Gildonis ad usum*
Carthago ter victa ruit? *Hoc* . . . .

c. m. 13,3.
Claudicat hic versus; haec' inquit 'syllaba nutat,

quo loco poeta, ut versum claudicantem fingeret, videtur consulto admisisse positionem litterae *h*.

Positio igitur literae *h* a Claudiano ubique in arsi tantum admittitur, quin etiam ter gravi interpunctione fulcitur. Alio autem commentationis loco[1]) de compluribus syllabarum productionibus disseram, quas vocalis sequitur.

β) Corippi.

Positionis adhibitae exempla, quae rarissime in Corippi quoque carminibus leguntur plerumque iam Petschenigius et Skutschius contulerunt[2]): Joh. I 132 *edocuĭt, haec verba movens.* I 178 *arboribus quae saepta iacĕt. hic saevus Achilles* . . . III 276 *ut perit in dubiis puppĭs, heu, naufraga ventis.* VII 62 . . . *manet incolumĭs. hanc* . . . 385 *timuĭt hunc*; Just. I 268 *quĭs hominum.* Pauca exempla ipse adiciam: Joh. II 338 *placĕt haec;* VIII 191 *hos clipeŭs, hos caetra tegit.* Just. II 259 *commendamŭs hanc.*

Etiam Corippum brevis syllabae positionem in thesi admittere nusquam ausum esse his exemplis allatis dilucide apparet.

2) de spreta positione.

Quam licentiam brevissime commemorare satis est, nam cum Claudianus et Corippus literae *h* positione rarissime in arsi, in thesi nusquam usi sint, in utriusque poetae carminibus spretae positionis exempla saepissime nobis occurrere apparet, id quod inprimis in versus fine cognoscitur: Claud. 1,1 *complexŭs habenis*; 48 *superabăt Hiberos*; 73 *viribŭs hostem*; 116 *maioribŭs herbae* et multa alia. Coripp: Joh. I 3 *viribŭs hostes*; II 60 *laxabăt habenas*; 80 *distendĭt harenas*; 244 *pulsat ĕt hasta*; 285 *pĕr herbas*; similia. Frequentissime

[1]) cf. huius commentationis pg. 48 sqq.
[2]) cf. Petschenigi indicem verb. pg. 247; Skutsch. Pauly-Wiss. IV pg. 1243.

etiam intra versum positio spernitur et apud Claudianum: 5,32 *rubet altŭs Halys*; 66 *dum fugĭt hunc*; 240 *Te vĕl Hyperboreo . .* ; 299 *Horruĭt hunc*; 15,335 *rursŭs habent?* alibi; et apud Corippum: Joh. II 250 *gemĭt horrida*; 257 *litŭs harenosum*; 313 *ductorĭs honos*; VII 378 *minŏr Herculeis*; VIII 258 *calĕt hora*; sim.

III. De positione neglecta.

In concursu duorum vocabulorum, quorum alterum in consonam *s* cadebat, alterum plerumque eandem consonam *s* in capite habebat, apud priores poetas dactylicos consona *s* finali prioris vocis abiecta positionem neglectam esse Enni, Lucili, Lucreti, Ciceronis, aliorum exemplis constat[1]). Catullus[2]) quidem semel scripsit 116,8 *dabi(s) supplicium*, sed poetae Augusti aetate a tali licentia anxie abhorrebant, quorum consuetudinem Claudianus amplexus est.

In Corippi carminibus una detractionis illius forma legitur:

Just. II 254 sq.

Omnibu(s) sufficiunt sacrati commoda fisci,
ex quibus est commune bonum commune levamen.

Quam lectionem codice Matritensi traditam Corippi carminum editores varie mutaverunt, e quibus Barthius legi voluit: *omnia sufficiunt* et Vonckius: *omnibus officiunt sacrati incommoda fisci.* Equidem codicis M. lectioni minime repugno, qua sententia loci optime exprimitur. Spectemus versus antecedentes, ubi poeta *ventrem* cum *sacrato fisco* comparat (cf. vers. 249 sq. *cognoscite fiscum ventris habere locum*). Nam ut ventre *omnia membra cibantur* (cf. vers. 250), ita *omnibus sufficiunt sacrati commoda fisci.* Itaque vox *omnibus* non solum optime illustrat iustitiam imperatoris, sed etiam illi sequenti *nemine laeso* (vers. 256) opponitur. Sed haec hactenus. Nunc faciamus nonnulla verba de mira positionis

---

[1]) cf. Luc. Mueller. pg. 427-29; Lindsay-Nohl. pg. 141; Lachmann Lucr. pg. 28 sq. Maurenbrecher. pg. 80 sqq. Skutsch. Pauly-Wiss. V pg. 2620 sq; O. Keller. Gramm. Aufs. pg. 193.

[2]) cf. Bednara. pg. 26.

neglectae licentia. Corippum praeter rem metricam ab epicis Augusti aetate poetis adhibitam interdum ex archaica poesi rarioris prosodiae exempla deprompsisse iam novimus[1]. Qua de causa, ut Corippo, qui priscorum Latinorum exemplaria diligentissime versaverit, detractionis tum usitatissimae exemplum obversatum sit[2], fieri potest. Qua in re optime etiam alterius cuiusdam poetae posterioris exemplo, dico Stati, adiuvamur[3], qui, quamquam plerumque ex Ovidio et Vergilio pendet, tamen nonnullis licentiis, quibus priscorum Latinorum poesis revocatur, utitur.

C. De quantitatibus syllabarum varie mutatis.

Triplici ratione poetae epici incommoda nomina ad metrum accommodaverunt et brevibus syllabis productis et longis correptis et ancipiti mensura admissa.

I. De brevibus syllabis productis.

a. intra vocabulum ipsum.

1) de substantivis.

Iam dactylici Graecorum poetae in nominibus propriis prosodiam mutaverunt, quem usum apud epicos quoque Latinos invenimus. Lucanus quidem, ubi *Phy̆lăcē* (VI 352) oppidum Thessaliae, regnum Protesilai commemorat et Statius (silv. V 3,273) primam syllabam producere metro non obligantur› sed in usu vocis *Phȳlăcĭdes*[4]) exempli causa Propertius (I 19,7), Ovidius (a. a. II 356; III 17; am. II 6,41), Claudianus (c. m. 30,151) ubique primam syllabam longam fieri iusserunt. Similiter Corippus[5]) septies fere egit: Joh. VII 243 *Stēphănĭdes* pro *Stĕphănĭdes*; VII 435 *Stēphanus*; Joh III 410 *Pēlagius*; IV 66 *Martūrius* (Μαρτύριος); IV 487 *Grēgōrius*; IV 232; VII 199 *Athanāsius*; bis denique legitur nomem proprium *Tīberius*

---

[1]) cf. pg. 9 sq; pg. 10; pg. 28 sq.; pg. 34 sqq.

[2]) cf. Amann. pg. 2 sqq.

[3]) cf. A. Klotz. A. L. G. XV pg. 401 sqq.

[4]) cf. Luc. Mueller. pg. 437; Jhbb. f. Phil. 151 pg. 93 sqq. Bednara. pg. 18.

[5]) cf. Petschenigi indicem verb. pg. 247.

ex deo *Tĭberis* ortum (Just. I 213; IV 375), quod apud Claudianum circumscribitur: 20,61 *Quid senis infandi Capreae, quid scaena Neronis tale ferat?* 8,312 sqq. *Quis non per saecula damnat Caesareae portenta domus? quem dira Neronis funera, quem rupes Caprearum taetra latebit incesto possessa seni*[1]*?*

Contra dubia est mensura duorum vocabulorum, quorum alterum in quarto *Johannidos* libro (vers. 325) exstat. Ibi enim a Petschenigio codicis T. lectio *ăc Cārōnă senem deserta currere cumba* contra coniecturam Bekkeri (*atque Chărōnă*) retinetur. Mea quidem sententia quaeritur, num Corippus duos Vergili locos in celeberrimo sexto *Aeneidos* libro positos ignoraverit, ubi prima vocis syllaba brevis est[2]). Praeterea utrum poeta Graecam terminationem *ona* (Χάρωνα)[3]) adamaverit an potius *onta* maluerit mihi videtur minime constare. In similes angustias Claudiani quodam exemplo delabimur. Est enim disputandum de substantivo *Darius*, cuius mensura, cum codices inter se dissentiant, fluctuat. Ac Birtius in c. m. 22,17 scribens: *Pellaeum iuvenem regum flexere ruinae: Dārium famulis manibus doluisse peremptum fertur et ingenti solatus fata sepulchro* (sic codd. P¹φ) fortasse rectam lectionem servavit (sed cf. codd. E. ε P.² *Et Dărĭum*; M. *Hic Dărĭum*). Etiam in compluribus appellativis tribrachys epico poetae molestissimus fuit. Nativa forma *rĕlĭgĭo*, quae apud Plautum[4]) legitur et plane in dactylico metro deest, inde a Lucreti demum temporibus[5]) prima syllaba producta vel consona *l* duplicata versui heroico adaptatur. In Claudiani carminibus codices utramque licentiam praebent: 21,230 *rēligione*; item R. Pr. III 358; 3,15 *relligio* (*religio*: codd. C. B. Π); R. Pr. I 203 *relligiosa silex* (*rēligiosa* dat φ). Idem de appellativo *rēliquiae* vel *relliquiae* dici potest, quod apud

---

[1]) cf. Stati silv. III 3,66 sq. *Tĭbĕrēia . . . aula . . .*
[2]) cf. Verg. Aen. VI 299; 326; Anth. Pal. VII 365.
[3]) cf. Neue I pg. 237; 250.
[4]) cf. Bednara. pg. 18
[5]) cf. O. Keller. pg. 196.

Lucretium, Vergilium, alios occurrit [1]). Claudiani exempla haec sunt: c. m. 27,95 *rēliquiasque* (E. R¹. P. V. A.), contra: *relliquiasque* (R.² J.); 3,310 *relliquias*; 28,158 *relliquias* (E. V. A.), *rēliquias*(φ). — Quod ad appellativa a Corippo adhibita attinet, de illo *ărĭēte* pro *ărĭēte* (Joh. II 400) posito in primo huius commentationis capite iam disserui [2]). Duorum autem vocabulorum sequentium mensura satis incerta est, nam difficile est ad intellegendum, utrum poeta in Just. IV 60 scripserit: *materiaque ipsa bāses firmaverat imas*, an collocatione verborum mutata: *Materiaque băses ipsa firmaverat imas*, id quod Jaegerus proposuit, textus restituendus sit. Jd unum admonemus in panegyrico quater fere lectionem codicis M transpositam a Petschenigio in textum receptam esse [3]). Bis denique prosodia substantivi *lutum* a Corippo violatur, nam legimus: Joh. V 368 *rubroque madent vestigia lūto.* Bekkerus minime constantem editorem se praebet, qui hoc quidem versu vocem *limo* poni maluerit, sed alio loco (cf. Just. II 23) falsam mensuram retinuerit: *vivificans siccum sacro spiramine lūtum.* Cum in lingua Latina magnus vocabulorum numerus inveniatur, quae isdem literis scripta diversa tantum mensura inter se discernuntur [4]) et quibus nomen illud *lutum* attribuendum est [5]), utriusque vocis confusio facile intellegitur.

Semel denique Petschenigius in Just. IV 188 *per scōlas turmasque vocans pia praemia gaudens praebuit* . . . nisus codice productionem brevis syllabae servavit et respuit Jaegeri coniecturam *perquĕ scŏlas* [6]).

---

[1]) cf. Lachmann. Lucr. pg. 281; cf. Verg. Aen. I 30; 598; III 87; V 47; VI 227 al.

[2]) cf. huius commentationis pg. 27.

[3]) cf. Petschenigi editionem pg. 165 (ad vers. 112).

[4]) cf. O. Keller. pg. 100.

[5]) cf. Verg. B IV 44 *croceo mutabit vellera lūto*; Claud. 20,496 *Deteriore lŭto pravus quos edidit auctor.*

[6]) sed paucis versibus ante (vers. 60) Petschenigio similis Jaegeri lectio placuit. Praeterea conferatur Petschenigi lectio: *scŏla quaeque palati est* . . . (Just III 158).

2) de verbis.

Primum spectemus duo Claudiani verba cum praepositione *re* coniuncta. Minore fide (cod. φ) in R. Pr. III 104 legimus: *Quodsi non omnem repulisti pectore matrem.* Sed cum ubique apud Claudianum prima perfecti *rēppulit* syllaba producta occurat (cf. 3,42; 18,512; 20,583; 26,149 al.), Birtius suo iure alteram codd. S.D. lectionem *pĕpŭlisti* textui immisit (cf. 18,467 R. Pr. III 285 *pĕpŭlit*; 5,254 *pĕpŭlerunt*; 22,281 *pĕpŭlisse*).

Qamquam de compositis verbi *iacere* iam alio loco quaestio facta est, tamen unum productionis exemplum quod commemoretur dignum est. Apud veteres poetas et apud christianos (cf. Sedul. c. p. V 142 *rēperiens* pro *rĕpĕriens*, al.) interdum longa fuit praepositio *re*, quo usu aureae aetatis poetae, Claudianus, Corippus, abstinuerunt[1]). Contra ubi adhibent verbi *reicere* formas, etiam poetae, quos supra nominavi, hunc usum non servaverunt. Lucretius[2]) primus videtur sibi concessisse productam primam syllabam (VI 80 *rēiciat*), quem secuti sunt: Ovidius (met. IX 606 *rēicerer*), Vergilius (Aen. V 421 *rēiecit*), Claudianus in c. m. 17,15 *rēiectae vento chlamydes* fortasse Catulli verba *rēiecta veste papillas* amplexus (66,81).

Semel a Corippo verbum *dĕcōrārĕ* illi substantivo *decus, ŏris* cognatum falsa analogia ex *decor, ōris* derivatur, cf Joh. III 300 *ornasti magne dĕcōrans et Salomoniacos auxisti saepe triumphos.* In dubium autem vocatur participii perfecti passivi forma Joh. VIII 36 *mōnitus* a Corippo producta, quam ob rem eundem versum alio loco denuo tangemus[3]). —

b) in fine vocabuli.

Brevis syllaba etiam arsis vi produci solet, quod remedium saepissime a poetis epicis adhibitum est[4]). Ex Claudiani

---

1) cf. Luc. Mueller. pg. 450 sq; Lindsay-Nohl. pg. 679.
2) cf. Koene. pg. 161.
3) cf. criticarum observationum appendicem.
4) cf. Luc. Mueller. pg. 406 sq.

carminibus quinque fere exempla quaestione digna collegi, quae sunt:

10,68.

Et platano platanūs alnoque adsibilat alnus.

Sic dat optimus[1]) codex V, praeter quem aliae codicum lectiones adsunt: *platanis platano* (B) qua compositione hiatus cum proximo nomine *alnoque* fit, *platani platanis* (A. Λ), id quod Birtius scribere maluit.

At codicis V. verba elegantissime respondent sequenti numero singulari neque desunt exempla, ubi tribrachys in consonam exiens arsis vi producitur[2]). Idem editor nonne alio loco similem formam productam admisit? Cuius versus statim mentio fiat: 21,238 *Quos dederis. Acie nec iam pulsare rebelles.*

Nam hoc verbo a Claudiano priscam longam syllabam finalem servari, quae ab aliis poetis epicis arcessitur[3]), vix credibile est, praesertim si non solum eandem syllabam finalem ante vocalem positam sed etiam alias quoque priorum epicorum terminationes (perf. *iīt*, *ĕrunt*, infinit. *ier* al.[4]) in Claudiani carminibus plane deesse videmus.

1,226 sqq.

Hic a Birtio dissentio, qui cum codice L legi voluit:

Est in Romuleo procumbens insula Tibri,
qua medius geminas interfluit alveus urbes
discretas subeunte freto . . .

Melior mihi videtur esse lectio codicum ς *medias geminus*, nam ut Birtiana lectio omnibus reliquis locis potest adaptari, ubi de flumine quodam urbem interfluente agitur, ita Tiberis propter insulam medio in flumine sitam a poeta recte vocatur *geminus*. Geminus alveus igitur interfluit *medias urbes*, cum Claudiani temporibus dextera quoque Tiberis ripa incoleretur.

---

[1]) cf. Birti praef. pg. XCIV; Kochi adnott. critt pg. XXXI.

[2]) exempli causa cf. Verg. Aen. IV 64 *pectŏrĭbūs inhians*; V 337 *Euryălūs et*; XII 550 *dŏmĭtŏr et.*

[3]) cf. Bednara. pg. 35 sqq.; at Norden, comm. 440: Vergil muss taxiert werden wie die jüngeren griech. Epiker. Diese hatten weder Bewusstsein einer ursprünglichen Länge . . . Analog verhält es sich bei Vergil.

[4]) cf. Birti praef. pg. CCXX.

c. m. 11,4.

Egregiumque decūs invidiam meruit.

Ab omnibus editoribus hoc productionis exemplum textui est inmissum.

22,441.

Illius ut Phoebūs ad limen constitit antri . . . Sic scribunt codd. A.B.Λ, sed Ieepius, Birtius, Kochius meliorem codicis Vaticani (V) lectionem . . . *ut magno Sol limine constitit antri* . . . praetulerunt [1]).

Vertamur nunc ad Corippum, qui duplex productionis genus exhibet. Alterum exemplum Claudianeis simillimum extat in Joh. VII 103 *festinus succurre, precōr, et consule rector* [2]). Aliter Joh. I 522 *O Romana manus, spes o fidissima rerum* (pro: *manus, o spes*). Altero genere adhibito Corippus videtur Ovidium vel Vergilium imitatus esse producentes coniunctionem *que*; si eadem coniunctio sequitur [3]). Comparemus utriusque poetae exempla inter se: Coripp. Just. III 177 *laevaquē dextraque acies adstare videres.* Ovid. met. I 193 *fauniquē satyrique*; IV 10 *telasquē calathosque*; V 484 *sideraquē ventique*; VII 225 *Othrysquē Pindusque*; X 262 *liliaquē pictasque*; 308 *cinnamaquē costumque;* XI 36 *sarculaquē rastrique;* al. Verg. Aen. III 91 *liminaquē laurusque.*

II. De longis syllabis correptis.

a) de substantivis.

1. de nominibus propriis.

α) Claudiani.

Mirum in modum a Claudiano semel violatur mensura vocis *Acis* in R. Pros. III 332 *Lucus erat prope flumen Acin* (sic codd. ω) *quod candida praefert saepe mari pulchroque secat Galathea natatu.* Claverius in vetustissimo suo [4]) se lectionem

---

[1]) cf. Birti editionem pg. 218; item Ieepi edit. pg. 247.

[2]) cf. Verg. Aen. XI 323 *considant, si tantus amōr, et moenia condant.*

[3]) Quod remedium Homericum (B. 495) ab Ennio in versum Latinum translatum nobis primum apud Accium (Fest. 146) occurrit: *metalliquē caculaeque* (cf. Norden, comm. pg. 130).

[4]) cf. Birti editionem pg. 389.

flavū invenisse profitebatur (*vix est, ut aliter legas*), qua in re etiam codice S adiuvabatur praebente *quem* (E. V. *quod*). Ceterum, quamquam alii quoque poetae tale epitheton ornans orationis animandae causa libenter fluminibus adiecerunt, cf. Ovid. met. II 245 *Xanthus flavusque Lycormas*; Claud. c. m. 27,83 *flavo de Tigride* (*fluvio*: V. P. E), et num Claudianus quantitatem huius nominis ignoraverit in dubium vocari potest, cum casus nominativus *Acis* et accusativus *Acin* in tertio decimo metamorphoseon libro saepius extans ubique versus arsin (primam, quintam, sextam) contineat, tamen videtur vix comprobanda esse Claveri lectio: *prŏpĕ flāvum Acin.* Qua quidem nativa huius substantivi prosodia servatur, sed talis vocis trochaicae elisionem Claudianus minime admisit.

Compluries antispasti imminentis causa prosodia nominum propriorum mutatur 17,94 *In Latium spretis Academĭa migrat Athenis* . . . Idem de voce *Cўthērēă*[1]) secundum insulam *Cythērorum* formata constat, sed epici poetae Latini Graecorum licentiam (Κυθέρεια) amplexi correptam formam *Cўthĕrēă* maluerunt, qua usi sunt: Vergilius (Aen. I 257 al.), Ovidius (met. X 640 al.), Claudianus (15,128; 19,62; R. Pr. I 216 et saepius). Eandem mensuram sequitur nomen *Cўthĕrēĭŭs* ex *Cythĕrēă* derivatum, quod Claudianus semel exhibet: c. m. 30,119 *Cўthĕrēĭă* . . . *sub iuga.* Transeamus nunc ad usitatissimum nomen proprium *Hannibal*, cuius syllabam finalem natura longam[2]) semel Ennius (cf. sat. 14 Vahl. *Hānnĭbălis*) retinuit. Sed poetae dactylici, quibus creticae huius vocis formae molestissimae essent, inde ab eodem Ennio[3]) syllabam *băl* ubique corripuerunt. Brevissime ex posterioribus poetis profero: Lucanum (I 305; IV 790 al.); Statium (silv IV 6.78; 107; al.); Silium (I 79); Claudianum (26,386; 15,83; 24,146; 18,463 al). De vocis *Syphax* denique mensura, quae exempli causa recte apud Propertium (eleg. IV 11. 59 *monimenta Syphăcis*) et Iuvenalem (sat. VI 170

---

1) cf. Bednara pg. 18. Vollmer, Stat. silv. ind. pg. 566.

2) cf. Koene. pg. 232; O. Keller. pg. 197.

3) cf. Enni ann. (Vahl.) 373 *Annibăl.*

4*

victumque Syphācem) adhibetur, Birtius desperat[1]), nam legimus in Claudiani carmine quodam (15,90 sq.) *Haurire venena compulimus dirum Syphăcem* . . . Quod idem editor admonet fortasse ex verborum lusu correptum nomen *Syphăcem* ad illud σύφαξ vel συφακίζειν pertinere etiam verbis antecedentibus *haurire venena* adiuvatur.

β) Corippi:

Quinquies apud hunc poetam prima syllaba nominis proprii *Calinicus* (Graece: Καλλίνικος) corripitur: Just. I 76; 122; IV 332 *Călīnīcŭs*; I 77 *Călīnīcum*; I 83 *Călīnīcĕ*; Similiter vox *Līberātus*[2]), quae ter exstat, tractatur: Joh. III 52; IV 541; VII 422 *Lĭberatus*. Ex substantivo *Memphis* derivantur nomina *Memphītes* (cf. Tibull. I 7.28 *Memphīten* . . *bovem*) et *Memphīticus* (cf. Lucan. X 5 *Memphiticus ensis*), quae prosodia semel a Corippo violatur: Just. III 16 *Memphĭtica* . . . *ab aula*. Alio quoque loco ab optimis prioribus poetis dissentit, qui nativam mensuram nominis *Mēthymnaeus* (Μηθυμναῖος) accurate observant (cf. Propert V 8. 38; Verg. G. II 90; Ovid. met. XI 55; Stat. silv. II 2. 60), nam scripsit Just. III 96 *quaeque Mĕthymnaeis expressit cultor ab uvis*.

2) de appellativis.

Huc spectant tria Corippi exempla, e quibus vocabulum *mysterium* e lingua Graeca (μυστήριον) depromptum correpta vocali *e* praemittatur: Just. II 113; IV 274 *mystĕrium*; sequantur duo vocabula Latina: Joh. III 366 *herĕs*, quam vocem epici Latini, nomino Catullum (64,346), Vergilium, Ovidium, Statium (silv. III 3,69), Claudianum (17,337; 28,76; 15,165 al.) ubique fere in versus fine collocaverunt. Praeterea Corippus semel tantum longam quartae declinationis syllabam *us* corripere ausus est, cf. Just. III 55 *transitŭs ob causam multi pia tura cremabant*, in reliquis autem eiusdem declinationis formis semper nativam mensuram retinuit (Joh. I 214; 222; Just. IV 42; al.), quin etiam longae syllabae

[1]) cf. Birti praef. pg. CCXI.
[2]) cf. Skutsch. Pauly-Wissow. IV pg. 1243.

breviationem constructione mutata vitavit: Just. IV 293 sq. *indivisa manens patris genitique potestas* s*pirituset* s*anctus.*

b) De adiectivis, adverbiis, pronominibus.

α) de adiectivis.

Adiectivum *feralis* [1]), quo apud poetas plerumque omnia ad mortem vel ad periculum pertinentia exprimuntur, a Vergilio (Aen. IV 462; VI 216), ab Ovidio (met. IX 213 al.), a Claudiano (3,131; 5,445; 15,124; 20,232; 26,614; c. m. 22,23; R.Pr. I 37 al.) semper producta prima vocali pronuntiatur. Semel autem Ovidius in fast. II 569 vocem illam ad verbum *ferre* [2]) videtur rettulisse: *Hanc, quia iusta fĕrunt, dixere Fĕralia lucem*, qua mensura Corippus quoque utitur in Joh. VII 477: *Christo pugnante cucurri per medios hostes et castra fĕralia vidi,* nisi forte legendum est: *castra ĕt fēralia vidi* (cf. Verg. Aen. VI 216 *latera ĕt fērales*).

β) de adverbiis.

Haec exempla e Corippi carminibus profero: Joh. VII 493 *exorans iŭgiter* pro *iūgiter*, quam prosodiam verbis transpositis (*iūgiter exorans*) proponerem, nisi eadem mensura exstaret in Just. II 143 *tempŭs iŭgĕ.*

γ) de pronominibus.

Apud poetas scaenicos masculinum pronominis *hic* brevi mensura ab adverbio differt, quod isdem literis scribitur, at longa syllaba apud epicos omnium temporum poetas multo saepius admittitur quam brevis [3]), quo ex numero affero: Tibullum (I 10,39 *laudandus hĭc est*), Vergilium (Aen. VI 791 *Hīc vir, hĭc est*; IV 22 *Solus hĭc inflexit sensus animumque labantem impulit*), cui versui alter quidam Claudianeus similis est (24,39) *Solus hĭc invidiae fines virtute reliquit humanumque modum.*

---

[1]) cf. O. Keller, pg. 167; Weniger, Archiv. f. Relig. X pg. 229 sqq.

[2]) cf. Varro l. l. VI 13.

[3]) cf. Luc. Mueller pg. 425; Lindsay-Nohl pg. 497; Skutsch, B.B. XXI (1895) pg. 84 sqq.

c. De verbis.

In verborum usu Corippus quinquies fere longarum syllabarum correptionem sibi concessit. Longa vocalis *e* finalis in imperativis secundae coniugationis, quorum paenultima brevis erat, inde a Plauto plerumque corripitur [1]), quae mensura cum pronuntiatione vulgari congruens [2]) etiam apud dactylicos occurrit (cf. Propert. I 7,25 *cavĕ* al.) [3]). Atque Corippus in hoc usu longius progressus minime abstinuit breviato imperativo verbi *arcere*, cuius prima syllaba longa est: Joh. VI 413 *infaustas nunc arcĕ querelas* (contra: Joh. I 147; VIII 262 *tenē*; 487 *cavē*; II 25 *admiscē*; IV 276 *vidē*; VII 63 *iubē*; 304 *movē*; al.). Spectemus porro: Just. IV 260 *flăgitantque cibos* [4]) et primam perfecti verbi *referre* syllabam. Hanc enim formam ex *retetulit* per syncopam esse ortam [5]) poetae nostro videtur fuisse ignotum scandenti Joh. VI 460 *nuntius ecce volans rĕtulit sub nocte silenti se procul . . . vidisse.* 596 *pacificos rĕtulit iam linquere proelia Mauros.* VII 153 *salvum rĕtulit quia fama magistrum* (sed cf. Claud. 8,633; 21,329; 28,302 *rettulit*; 28,357 *rettulerant*).

III. De syllabis et productis et correptis.

Prout versus hexameter iubebat poetae iam priores ancipitem prosodiam adhibuerunt:

a) intra vocabulum ipsum.

1) in substantivorum usu.

Praemittamus nonnulla nomina propria e Graecorum lingua sumpta, ubi plerumque iam prosodiam duplicem invenimus. Vocis *Geryon* apud Claudianum vocalis *y* partim producitur: 3,294 *Geryon triplex*, partim breviatur c. m. 4,2 *tellus tergemino subdita Geryoni* [6]). Item fluctuat mensura

---

1) cf. Lindsay-Nohl pg. 244 sq.
2) cf. Quintilian. I 6. 21.
3) Contra Statius semper habet *iubē*, *cavē*, *manē*, *habē*, *tacē* (silv. I 2,28), *valē* (silv. III 3.209) cf. Vollmer, comm. pg. 556.
4) cf. Skutsch, Pauly-Wissowa IV pg. 1243.
5) cf. Lindsay-Nohl pg. 578.
6) cf. Birti praef. pg. CCXI; Neue II 574.

nominis proprii *Orion* apud priores dactylicos et apud Claudianum. Producta pronuntiatur prior vocalis *o* apud: Propertium (III 22,50), Vergilium (Aen. III 517; VII 710), Ovidium (met. VIII 207 al.), Claudianum 1,28 *Debilis Orion*; R. Pr. II 191 *Horruit Orion*; 28,178 *subterluit Oriona*, contra ubique in thesi quinti pedis eadem vocalis *o* corripitur apud Propertium (III 8 51), Vergilium (Aen. I 535 al.), Ovidium (a. a. I 731), Statium (silv. I 1,45; III 2,77), Claudianum 7,171 *succinctus Orion*; 15,498 *descendat Orion*; 21,287 *vexat Orion*. Simili ratione dactylicis Latinis duae nominis *eous* formae praesto erant, cuius usus Graeci auctores fuerunt (cf. ἠῷος ἑῷος). Utraque forma praeter alios epicos [1]) Claudianus quoque utitur et producta prima vocali (18,239; 21,8; c. m. 30,114; 7,8; 28,90; 20,113; 5,105; 21,296; 17,151; al.) et correpta (5,217; 15,430; 19,36; 20,350; 8,374; 22,292; 306; al.), contra in Corippi carminibus tantum breviata forma extat (Joh. I 120; VII 145 *ĕoi*). Brevissime tango mensuram choriambicam [2]) vocis *Sardōnius* in Claudiani carminibus (26,218 *Sardŏniosque habitare sinus*) admissam et nominis *Sidōnius*, cuius duplicem formam iam Graeci noverant [3]) (Σιδώνιος et Σιδόνιος). Claudianus (10,113; 5,450; 8,600; 15,191; R. Pr. I 275 al.) et Corippus (Joh. III 19; 280; VI 63; 228; VII 195) ubique brevem vocalem praebentes spreverunt productam formam, quam legimus apud Vergilium (Aen. I 446; XI 74), Ovidium (met. III 129), Statium (silv. I 5,39) alios. Restat, ut mentionem faciam nominis proprii *Anastasius*, cui a Corippo duplex mensura datur: Anast. 40 *Anastăsii*, Just. I 16 *Anastăsius*, sed Anast. 31 *Anastāsi* pro molestissimo vocativo *Anāstăsī*. — Sequantur pauca nomina propria Latina: Vocis *Diana* apud dactylicos utraque forma in usu est et rarior *Dīana* (cf. Enn. ann. 63; Verg. Aen. I 499; Ovid. met. VIII 353; Stat. silv. I 4,33;

---

[1]) cf. Propert. II 3,43 sq. *ostendit ĕois, uret et ēoos*; Verg. Aen. I 489 → II 417; al. Lucan. IV 66 → VI 680; Stat. silv. III 3,33; 92 → II 2,86; III 2,126.

[2]) cf. Birti praef. pg. CCXI cf. Verg. B. VII 41.

[3]) cf. Bednara pg. 19.

II 3 21) et usitatior *Dĭana*, quam Claudianus solam adamavit (cf. 10,270; 8,160; 24,258; R. Pr. III 216; 306). Prima vocalis nominis *Italus*[1]) in casibus obliquis metri causa manet ubique brevis (15,509 *Poenos Ĭtalosve*), in casu nominativo autem numeri singularis producitur (26,646 *Ītala tellus*). Substantivo *Sīcănĭa* denique cognata sunt nomina *Sīcănĭus* (cf. Verg. Aen. III 692; VIII 416; Ovid. met. XV 279; Lucan. III 177; II 548; III 59) et *Sīcănus* (cf. Verg. Aen. V 24; XI 317 *fines super usque Sĭcanos*[2]); Propert. I 16,29; Claudian. R. Pr. I 220 *fines invade Sĭcanos*), quorum adiectivorum quantitates a posterioribus poetis inter se confunduntur[3]). Quo in numero videtur fuisse Corippus, cum scriberetit Joh. I 229 *Caucana Sīcani*[4]) *iuxta iacet arva Pachyni litora curva tenens*.

Nominibus illis propriis denique adiciamus appellativum *balatus*, quod eiusdem stirpis est atque verbum *balare*. Corippus recte quidem dicit Joh. II 398 *bālantum* (cf. Verg. Aen. VII 538; G. I 172; III 457), sed corripit eandem syllabam in Joh. II 174 *pecudum per prata bălatus*; Just. IV 204 *pulsantque bălatibus auras*[5]).

2) de pronominibus.

Hic tractemus pronomina, quorum casus genetivus numeri singularis in *ĭus* exit[6]). Cuius casus praeter Ennium[7]) poetae dactylici omnium temporum duplicem

---

[1]) cf. Norden. comm. pg. 141; Hosius. Ihbb. Phil. CVII (1895) pg. 93 sqq.

[2]) qui locus similis in editione Birtiana (pg. 358) deest.

[3]) cf. Luc. Mueller pg. 352 sq.

[4]) forsitan *Sīcănĭī* legendum est, praesertim cum prima vocalis *i* in arsi posita sit. Aliter res se habet apud Ausonium (Griph. vers. 46): *Hinc Bromii quadrantal, et hinc Sīcana medimna* (cf. Vollmer, Stat. silv. comm. pg. 558).

[5]) *aures?* cf. Claud. 26,625 *Pulsaretque tuas ululatus coniugis aures*.

[6]) Koene pg. 239; Skutsch Γέρας pg. 124 sqq.; Luchs, Studem. Stud. I pg. 320 sqq.; Bednara pg. 22; Birt praef. pg. CCXI.

[7]) In annalium reliquiis neque productae neque correptae formae inveniuntur.

prosodiam adhibuerunt. Ut metri causa apud epicos genetivus *ăltĕrĭus* semper corripitur (cf. Claud. 3,16; 15,2; c. m. 17,24; Coripp. Joh. VI 723; Just. II 266; IV 93), ita etiam metro non cogente aliorum genetivorum vocalis *i* breviata occurrit. Commemoro: *illĭus*[1]) (Claud. 15,500; R. Pr. II 7; Coripp. Joh. III 201; IV 534; VII 389; Just. IV 246), *nullĭus*[2]) (semel apud Claudianum invenitur 18,167 at apud Corippum videtur plane deesse), porro *ipsĭus*[3]) (exstat breviatum apud Catullum: 68,146; al., Vergilium: Aen. I 114 al., Ovidium: P. I 1.36, Corippum: Just. II 184; III 367, sed frustra in Claudiani carminibus quaeritur), *unĭus*[4]), quod aeque ac producta forma legitur (Claud. 21,216; 22,385 at *unīus* 15,162; 18,483; 17,56; Coripp. Just. IV 361 at *unīus* Joh. V 93).

3) de verbis.

α) de verbo *fĭeri*[5]).

Cuius verbi prima vocalis *i* in prisca Latinitate modo producitur modo corripitur, ut exempli causa Plautus[6]) et mensuram *fĭĕrī* et *fīĕrī* praebeat. Poetae dactylici autem, ubi consona *r* aderat, primam vocalem *i* breviare paulatim consueverunt[7]). Neque oblivisci debemus ad hanc consuetudinem corroborandam metri necessitatem multum valuisse. Corippus in usu formarum, quae consonam *r* continent, regulam illam quidem accurate servavit (Just. I 183; 291 *fĭeri*; II 46 *fĭerent*; III 279 *fĭeret*; al.), sed semel inusitata mensura *Omnia salva fĭent* (Joh. II 348) admissa differt ab optimis prioribus dactylicis (cf. Verg. G. IV 407 *fīet*; B. VIII 58 *fīant*; Ovid. met. XV 244 *fīunt*; II 647 *fīes*; al.)[8]).

---

1) cf. Skutsch, Forsch. I pg. 101 sq. Lindsay-Nohl pg. 498; 500 sqq. O. Keller pg. 196. Bednara pg. 22.

2) cf. Neue II pg. 522. Lindsay-Nohl pg. 517.

3) cf. Neue II pg. 408 sq. Bednara pg. 22.

4) cf. Neue II pg. 518 sq. Bednara pg. 22.

5) cf. Koene pg. 163. Corssen II 680; 739. Luc. Mueller pg. 286 sqq. 441.

6) cf. Bednara pg. 23.

7) cf. Catull 78,2; 85,2; Verg. Aen. III 478; Ovid. met. III 518 al.

8) cf. Bednara pg. 23.

β) de verbis cum praepositione *prŏ* coniunctis[1]).

Apud priores poetas talium verborum prosodia nondum constat, ut exempli causa apud Lucretium[2]) in eodem versu (IV 194; VI 1027) inveniamus *prōvehat atque prŏpellat.* Dactylici demum aureae aetatis poetae et posteriores ante consonam *f* productae praepositioni anteponunt correptam. Sic tractantur a Catullo, Vergilio, Ovidio, Claudiano, Corippo verba *prŏficisci*[3]); *prŏfari*; alia. Verbi *profundere*[4]), cuius praepositionem omnes fere dactylici corripiebant (cf. Verg. XII 154; Ovid. met. VII 91 al.), longam syllabam servavit Catullus (64,202) *maesto prōfudit pectore voces*, quem versum Claudianus videtur memoria tenuisse, cum scriberetit: *flumina prōfundens* (c. m. 28,14).

Denique non aliter tractatur praepositio *pro*, quam alia quaedam consona sequitur. Ex Claudiani carminibus affero: 18,27 *prōcedat*; 125 *prōcedentibus* (*prŏcēdēntĭbus*) 10,170 *prōcesserat*; 1,120 *prōcubat*; 26,642 *prōcubuit* (*prŏcŭbŭit*); 20,385 *prōducere*; 3,45 *prōduci*; 22,158 *prōmoveris*; 21,373 *prōpagandi* (cuius verbi Lucretius[5]) praepositionem producit et corripit; cf. etiam duplicem substantivi *prŏpago* formam, quae apud Vergilium occurrit G. II 26 *prōpaginis*; 63 *prōpagine*; Aen. VI 870 *prŏpago*); 28,359 *prōsiluit*; 5,470 *prōturbat*; 8,344 *provocat.* Corippus quoque christianorum more[6]) praepositionis productionem adamavit: Joh. VIII 203 *prōmittunt*; VI 227; 262 *prōrumpunt*; similia.

b) in fine vocabuli.

Etiam in fine vocabuli duplex prosodia solet admitti, quo spectat inprimis ambigua vocalis *ŏ* terminatio[7]). Vocalis

---

[1]) cf. Luc. Mueller pg. 451; Lindsay-Nohl pg. 678sq. B. Kranz, de particularum „pro" et „prae" in prisca latinitate vi atque usu, diss. Vrat. (1907) pg 31.

[2]) cf. Lindsay-Nohl ibidem.

[3]) cf. Koene pg. 13; 225; Bednara pg. 19.

[4]) cf. Birti praef. CCXI; Kranz, verb. ind. pg. 53.

[5]) cf. Lindsay-Nohl pg. 679.

[6]) cf. Luc. Mueller pg. 451.

[7]) cf. Skutsch Γέρας pg. 143; Norden comm. pg. 326; Lindsay-N. pg. 246; Bednara pg. 20sq.

enim *o* natura longa, quae in nominativo tertiae declinationis et in prima coniugationum persona numeri singularis legitur, iam a Plauto secundum correptionem iambicam brevi mensura pronuntiatur[1]), quam licentiam etiam dactylici Latini inde ab Ennio secuti sunt[2]). Ab eodem autem poeta et a Catullo, qui admodum cauti in tali usu sunt[3]), cum iam Augusti temporibus prosodia vocalis *o* exeuntis titubet, posteriores poetae epici ut Statius[4]) aliique discrepant. Nunc, quotiens Claudianus et Corippus talem licentiam adhibuerint, videamus.

1) de substantivis.

Claudianus nomen proprium iambicum semel in pentametro breviavit: c. m. 23,12 *te, Mărŏ, fama vehit*, itemque semel tantum correpta spondaica vox exstat R. Pr. I 106 *Junŏ*. Reliqua autem nomina propria in versus fine collocantur: c. m. 30,24 *Calypsŏ*; c. m. 15,1; 8,5 *Cupidŏ*; R. Pr. III 4 al. *Apollŏ*, quod nomen Statius primus etiam intra versum ponere ausus est[5]); 18,238 *Enyŏ*; R. Pr. I 136; III 327; 15,130 *Junŏ*; 26,2 *Argŏ*; 15,335 *Gildŏ*, ut videre liceat poetam de mensura decernere nolle. Apud Corippum solum nomen proprium *Carthagŏ* inveni breviatum (cf. Joh. praef. 35; III 308; VI 58; 174; VIII 503).

Etiam in usu appellativorum correptorum Claudianus satis cautus est, cum praeter quinque breviatas formas iambicas 18,315; 296; 19,33; 20,62 *spădŏ*; R. Pr. II praef. 35 *lĕŏ* et quattuor spondaicas: c. m. 17,11 *formidŏ*; 15,69 *praedŏ* (3,305 *praedō*); 18,353 *testudŏ*; R. Pr. II 20 *virgŏ* plurima appellativa in versus fine ponantur, qua collocatione Claudianus correptionem effugit. E numero exemplorum profero: 5,505; 26,468; R. Pr. III 444 et saepius *imagŏ*; R. Pr. II 350 *voragŏ*; 63 *viragŏ*; 8,129; 20,539 al. *origŏ*;

---

1) cf. Koene pg. 113sqq. Luc. Mueller pg. 410sqq.
2) cf. Skutsch Γέρας pg. 142; Pauly-Wissowa V pg. 2621.
3) cf. Bednara pg. 20.
4) cf. Vollmer, comm. Stat. pg. 556.
5) cf. Norden, comm. pg. 118; Vollmer, comm. pg. 556.

c. m. 9,39 al. *harundŏ*; 26,225; 21,166 al. *libidŏ*; 18,117 *hirundŏ*; 8,248 *cupidŏ*; 28,33 al. *echŏ*; 26,39 *ordŏ*; 22,163 *sermŏ*; 28,564 al. *virgŏ*.

Contra Corippus creticas voces in vocalem *o* cadentes, quae desunt apud Claudianum, corripere minime veritus est, quarum notissimae sunt *iussiŏ* (Joh. I 296; 316; VII 511; Just. II 27), *devotiŏ* (Just. I 206), *laesiŏ* (Joh. VI 124), *ultiŏ* (Joh. VIII 154; Just. IV 358), *benedictiŏ* (Just. II 270), *dilectiŏ* (Just. I 178), *indiscretiŏ* (Joh. II 36), *visiŏ* (Just. I 96), *legatiŏ* (III 268), *descriptiŏ* (IV 283), *sanctiŏ* (Anast. 45).

Correptas iambicas quidem voces apud hunc poetam non inveni sed complures spondaicas: *tirŏ* (Joh. I 128), *pulmŏ* (VII 327), *virgŏ* (Joh. I 188; Just. II 52; 54), *ordŏ* (III 42), *praedŏ* (Joh. II 483; III 193; 321). Accedunt *sollicitudŏ* (Just. I 208), *arundŏ* (Joh. IV 173), *hirundŏ* (Just. IV 257). Interdum vocalis *o* exeuntis mensura elisione adhibita a Corippo obscuratur, id quod iam poetae epici priores fecerunt[1]). Haec exempla mihi praesto sunt: Joh. VII 357 *praedŏ urguet*; Just. II 29 *homŏ immensi*; IV 301 *homŏ est*; Joh. I 352 *statiŏ est*; semel autem correptio vocalis *o* cognoscitur, cf. Joh. IV 224 *praedŏ hŏmicida*.

Nonnullis denique appellativis longa vocalis *o* servatur partim intra versum: Joh. II 342 *ordō*; III 256 *grandō*; 372 item Just. I 33; 66 *virgō*; Just. IV 236 *praecō* al., partim in versus fine: *imagŏ* (Joh. 1 243; 250; 399; III 345; IV 324; Just. I 36; 194; II 29), *arundŏ* (Joh. IV 32; V 103; 331; VI 577; 691; VIII 518), *origŏ* (Joh. III 45; 66 Just. I 42), *propagŏ* (Joh. VII 42; Just. II 78; IV 176), *hirundŏ* (Joh. VIII 9), *cupidŏ* (Joh. I 295), *ordŏ* (Joh. III 441), *umbŏ* (Joh. VI 737; VIII 292), *echŏ* (Just. II 166).

2) de adverbiis[2]).

Adverbium *mŏdŏ*[3]) apud dactylicos poetas semper corripitur (cf. Catull. 73,6; Verg. Aen. V 25; al. Ovid. met. III 557

---

[1]) cf. P. Maas, A.L.G. XII, pg. 513; Norden, comm. pg. 448; Bednara, pg. 20sq.

[2]) Plurima Corippi exempla iam Petschenigius collegit (cf. verb. ind. pg. 247).

[3]) cf. Luc. Mueller. pg. 417; Lindsay-Nohl. pg. 246; 632.

al.; Claud. 19,1; 20,466; 8,87; 24,95 al. Coripp. Joh. II 342; V 378; 379; 383; 385; VII 226; 290; 534; VIII 374; 538), reliquorum autem adverbiorum vocalis *o* exiens partim brevis partim longa occurrit. Sic parem fere productorum et correptorum exemplorum numerum praebet adverbium *ergō* (*ŏ* Claud. c. m. 40,11; 41,17; Coripp. Joh. II 184; 320; III 334; IV 436; VII 206; 248; Just. I 165; II 187; 197. *ō* Claud. 15,26; 23,7; c. m. 53,57; Coripp. Joh. IV 38; VII 391; Just. III 345; vocalis *o* in elisione breviatur: Claud. 7,151; 20,354; 22,223; Coripp. Joh. V 230; IV 439). Contra non omnis mensura apud utrumque poetam adest, si haec adverbia inter se comparamus: *retrŏ* (*ō* intra versum: Claud. 3,268; 17,103; 18,353; 476; 22,359; al. Coripp. Joh. VI 454; 490; VIII 551 Just. III 81; *ŏ* in versus fine: Claud. 28,461; 10,103; 20,58 al. Coripp. Joh. VI 506; *ŏ* Coripp. Joh. III 425; V 211; 426). *ultrŏ* (*ō* intra versum: Claud. 1,164; 5,73; 8,124; 21,232 al. *ŏ* in versus fine: Claud. 7,143; 8,484; 15,321 al. *ŏ* Coripp. Joh. II 372; III 289; Just. II 381). *quandŏ* (*ō* intra versum: Claud. 15,289; 20,156; 17,160; 21,64; 117; c. m. 49,13; Coripp. Just. I 166; II 291; *ŏ* Claud. c. m. 41,2), quin etiam adverbium ipsum apud alterum poetam omnino non extat: *serŏ*[1]) (cf. Claud. 7,86 *imperium tibi serŏ datum*), *omninŏ* (cf. Coripp. Joh. III 378 *omninŏ nocentes*; Joh. VI 125 *omninō*). Semel denique ambo poetae inter se plane congruunt, cum adverbium *profectŏ* semper in versus fine collocant (cf. Claud. 15,336; Coripp. Just. II 112; IV 304; 358).

3) de verbis.

Praemittatur verbum *nescio*, quod cum pronomine *quis* coniunctum pronominis indefiniti vice fungitur, ita ut Claudianus quoque priorum dactylicorum usum[2]) secutus semel scripserit (26,504) *Quid mihi nesciŏquam proprio cum Thybride Romam semper in ore geris?* Contra aliorum verborum creti-

---

[1]) cf. Vollmer, comm. Stat. pg. 556.

[2]) cf. Luc. Mueller. pg. 413; Skutsch Γέρας pg. 136.

corum breviatio[1]) apud eundem poetam rarissime admittitur, quam ob rem duo tantum exempla in carminibus minoribus posita inveni (cf. c. m. 16,2 *deligŏ;* c. m. 44,8 *haereŏ*). Aliorum verborum formae in spondeum exeuntes bis corripiuntur (cf. R. Pr. I 196 *commendŏ;* 144 *laxabŏ*), sed nusquam vocalis *o* finalis in gerundivis brevis fit[2]), qua de causa in Claudiani carminibus plerumque sexto hexametri pede continentur gerundiva, qualia sunt: 3,156 *canendŏ*; 22,111 *habendŏ;* c. m. 53,105 *nocendŏ*; c. m. 27,87 *regendŏ;* 1,76 *rogandŏ;* 17,90 *tacendŏ;* 18,80 *tuendŏ*; c. m. 53,113 *videndŏ*; similia. Praeterea in versus fine a nostro poeta etiam ponitur prima persona indicativi praesentis activi 18,489 *orŏ*; c. m. 53,30 *recusŏ*; c. m. 23,17 *laudŏ*; c. m. 22,12 *poscŏ*; 28,383 *remittŏ* et paulo saepius prima persona futuri activi 17,181 *adibŏ*; R. Pr. I 113 *ciebŏ*; 15,388; 28,438 *docebŏ*; 20,143 *faxŏ* pro *fecero;* 18,301 *putabŏ*; 15,149 *iacebŏ*; 8,368 al. *nequibŏ;* 26,520 *tenebŏ*; 18,355; R. Pr. III 436 *videbŏ*; alia.

Transeamus nunc ad Corippum, qui, quamquam Claudianum numero longarum vocalium *o* correptarum superat, tamen, si respicimus ultimam illam aetatem et aliorum poetarum christianorum licentiam in hac re cautum et diligentem se praebet. Vox iambica semel in pentametro corripitur (cf. Joh. praef. 36 *rŏgŏ*), ceterum mensura iambica servatur et intra versum (Just. I 3 *cănō*) et in fine pentametri (Joh. praef. 16; 40 *cănō*), at semel obscuratur (Just. I praef. 48 *ăgō et*). Creticorum verborum breviatio quinquies (ubique in *Justino*) admittitur (III 394 *arguŏ*; II 133 *conferŏ*; 214 *imperŏ*; I 7 *praecommodŏ*; II 31 *serviŏ*). Spondaicis denique verbis correptis utrumque carmen abundat (Joh. praef. 26 *mittŏ*; III 61 *estŏ*; VIII 217 *confidŏ*; 500 *vivŏ*; 501 *aptabŏ*; 532 *signabŏ*; Just. I 14 *tendŏ*; 165 *ornabŏ*; 171 *ibŏ*; II 32 *submittŏ*; 63 *implorŏ*; 337 *promittŏ*; III 149 *sacrŏ*; IV 341 *mandŏ*; 344

---

[1]) cf. Bednara. pg. 20 sq. Egomet ipse adicio Tibull. II 6. 41 *desinŏ*; Horat. epist. I 7.95 *obsecrŏ*; Verg. Aen. I 390 *nuntiŏ*; XI 503 *audeŏ*.

[2]) Idem iam Birtius animadvertit in praef. pg. CCXI.

invitatŏ), quibus formis brevissime adicio nonnulla verba in longam vocalem *o* exeuntia: Joh. VII 96 *credō*; Just. I 13 *quaesō*; II 44 *regnatō*; 351 *ditatō*; versus finem capit et prima persona indicativi praesentis: Joh. praef. 23 *cantŏ*; II 55 *temptŏ*; Just. I praef. 48 *portŏ*; Anast. 6 *tendŏ*; 47 *gestŏ*; Just. I 172 *recusŏ*; II 30 *adstŏ*; III 405 *relinquŏ*, et prima futuri persona: Joh. I 409 *seplebŏ*; V 419 *inibŏ*; VII 185 *rogabŏ*; Just. II 350 *parabŏ*; 352 *nocebŏ*; III 407 *notabŏ* et imperativi: Joh. I 137 *tenetŏ*; V 176 VI 330 *mementŏ*; Joh. VIII 60 *cavetŏ* et compluria gerundia: Just. III 275 *bibendo*; Joh. VII 222 *docendŏ*; II 24 *favendŏ*; VII 138 *fovendŏ*; VII 90; 248 *movendŏ*; VII 491 Just. III 278 *precandŏ*; Joh. V 81 *premendŏ*; I 346 *regendŏ*; VII 489 *sequendŏ*; Just. IV 257 *videndŏ*.

c) in versus fine.

Tali collocatione vocalis longae *o* correptionem a poetis dactylicis vitatam esse modo vidimus. Est autem eadem sola ratio, qua tribrachys in vocalem exiens ad pentametrum elisione non adhibita accommodari possit. Quo remedio Catullus[1]) saepe utitur, Tibullus quater fere (cf. I 10,66; I 4,84; I 5,62; I 10,14). Bednara[2]), quod dicit poetas elegiacos posteriores talia non admisisse, magnopere errat, cum iam in primo Properti libro quinquies haec licentia occurrat (cf. I 1,26; 2,24; 14,2; 14,6; 14,24; cf. etiam II 1,16; III 31,40; 32,66). Semel etiam apud Claudianum tribrachys versus finem capit, ut nominis proprii molesta elisio vitetur (23,22 *Hānnĭbălĕ*). Simile exemplum apud Corippum frustra quaeres, cum non magnus pentametrorum numerus adsit et poeta tales versus brevi vocali finire (praeter Joh. pr. 28 *Musa est rustica namque mea*) omnino vitaverit.

D. De formarum alternatione.

I. de flexione Latina.

a) de singulis declinationibus.

---

[1]) cf. Bednara. pg. 11.
[2]) cf. ibidem pg. 12.

1) de prima declinatione.

Inde ab Ennianis temporibus dactylicorum poetarum carmina formis quibusdam referta sunt, quarum auctores epici poetae ipsi fuerunt neque vero sermo pedestris vel vulgaris[1]). Agitur de genetivo numeri pluralis *um* pro *arum* posito, quem etiam Claudianus et Corippus malunt: *caelicolûm* (Claud. 2,38; Coripp. Joh. I 454), *terrigenûm* (Claud. R. Pr. III 351), *ruricolûm* (Coripp. Just. IV 218).

2) de secunda declinatione.

Hic quoque epici poetae graviori genetivo in syllabas *orum* cadenti breviorem formam *ûm* praetulerunt: *deûm* (Claud. c. m. 31,21; 26,172), in versus fine autem *deorum* (20,160; 28,186; c. m 51,5 al.), *virûm*[2]) (Coripp. Joh. I 2; II 196; 232; III 232; V 151; 174; 222; 363; 455; 517; VI 364; 404; 643; VII 18; 225; Just. IV 63; Claudianus tantum exhibet *virorum* 18,297; c.m. 30,66), *Danaûm* (Coripp. Joh. VI 305 Verg. Aen. I 30; 96; 598; 754 al.), *sociûm*[3]) (Coripp. Joh. VIII 66 → Verg. Aen. V 174).

In eadem declinatione vocalis *i* duplicata vocibus efficitur, quarum casus nominativus in *ius* et *ium* exit[4]), sed antiquissimis temporibus gen. sing. semper in vocalem *i* simplicem formatur. Usus ille, qui etiam in Catulli carminibus dactylicis valet[5]), a poetis Augusteis non ita anxie cauteque observatur, quos Claudianus et Corippus secuti sunt.

Simplici vocali *i* in nonnullis nominibus propriis[6]) creticus imminens vitatur, cum inveniamus apud Claudianum:

---

[1]) cf. Corssen, I pg. 589; Norden, comm. pg. 218.

[2]) Neue I pg. 176; Bednara. pg. 27.

[3]) cf. Neue I pg. 112 sq.

[4]) cf. Lachmann. comm. pg. 325 sqq. Norden comm. pg. 285 sq. Neue. I pg. 134 sqq.

[5]) cf. Bednara pg. 28.

[6]) cf. Birti praef. pg. CLXVIII 3 pg. CCXI; cf. Stat. silv. II 7,75 *Enni*; II 2,9; III 1,89 *Polli*; IV 7,55 *Sallusti* (Vollmer, comm. pg. 557).

18,154 *Abundantî* pro *Abundāntĭī*; 1,272 *Favonî*; 8,406 *Mucî*; 1,30 *Olybrî*; 15,111 *Quinctî Curiique*; c. m. 43,4 *Curetî*; 8,402 *Mettî* (Vergilius quidem in Aen. VIII 642 scripsit *Mettum*, sed altera forma *Mettius* Liviano quodam loco firmatur, cf. I 23,4) et apud Corippum: Joh. VI 413 *Ricinarî* pro *Ricinārĭī*.

Saepe eadem metri necessitas poetas duplicem vocalem *i* admittere cogit, cf. Claud. 20,264 *Amazonii* (pro *Amāzŏnî*); 26,331 *Danuvii*; 21,120 *Eucherii*; 18,33 *Eutropii*; c. m. 25,64 *Palladii*; 8,600 *Sidonii*; 15,216 *Theodosii*; al. Coripp. Joh. V 25 *Ammonii*; Anast. 40 *Anastasii*; Joh. IV 367 *Armeniique*; Joh. I 350; 460 al. *Byzacii*; similia.

In appellativorum autem usu iam optimi priores[1]) dactylici simplicem vocalem *i* admittere veriti sunt. Eadem severitate Claudianus appellativorum casum genetivum, qui metri causa duplicatam vocalem *i* sperneret, partim omnino non adhibuit partim similibus vocibus circumscripsit (cf. 18,162 *cecidit saevi, quod dixerat, hostia sacri* et c. m. 32,21 *Annua sinceri celebret ieiunia sacri* = *sacrĭfĭcĭi*, quem genetivum Ovidius[2]) semel (Pont. III 2,57) in *sacrĭfĭcī* mutare ausus est). Ad hoc Ovidi exemplum vel similia aliorum poetarum (cf. Lucreti VI 673 *incendî*[3]); I 313 *stilĭcĭdî*)[4]), Corippus bis sibi permisit *cura palatî* (Just. I 137; II 285) et semel *scola quaeque palatî est* (Just. III 158).

Reliquorum autem appellativorum, quae in utriusque poetae versibus legimus, casus genetivus simplicem vocalem *i* nusquam ferret: Claud. 18,158 *consilii* (*cōnsĭlî*); c. m. 32,16 *supplicii*; al. Coripp. Joh. I 524; Just. I 1; II 5; III 360 *imperii*; Joh. IV 237 *consilii*; al.

3) de tertia declinatione.

α) Primum investigemus numeri pluralis genetivum *um* pro *ium* positum. Lingua Latina enim in hac declina-

[1]) cf. Bednara pg. 28.
[2]) cf. ibidem.
[3]) cf. Koene pg. 60.
[4]) cf. Koene pg. 64.

tione genetivis abundat, qui propter tres breves syllabas (*vĭgĭlĭum*) et dactylum in consonam *m* exeuntem (*agrēstĭŭm*) in epicum metrum non quadrant. Claudianus et Corippus, qui isdem angustiis atque priores dactylici premuntur, brevioribus substantivorum genetivis rarissime utuntur: *vŏlŭcrum*[1]) pro *vŏlŭcrĭum* (Claud. 6,13; Coripp. Just. III 50), *vatum*[2]) pro *vātĭŭm* (Claud, 8,143; 23,4; c. m. 23,13; 30,146), *clientum* (Claud. 28,314; 5,76; Coripp. Just. II 165; IV 177), *voluptatum* (Claud. 22,138; Coripp. Just. III 84), *mensum* pro *mensium* (Coripp. Just. IV 94 -> Ovid. met. VIII 500 *bis mensum quinque labores*). Non solum alii priorum epicorum genetivi apud utrumque poetam plane desunt (cf. *ambagum* Ovid. met. VII 761 sim.), sed etiam notissimi adiectivis ex substantivis derivatis circumscribuntur. Pro voce *caelestum*, quam dactylici inde ab Ennio adamaverunt[3]), ponitur a Claudiano: 22,208 *caeleste iudicium*; 26,71; R. Pr. III 314 *caelesti bello*, a Corippo: Just. IV 177 *caelesti munere*. Accedunt: Claud. 28,118; 395 *odiisque civilibus* (pro: *cīvĭŭm*), Coripp. Joh. III 251; IV 195 *pondus civile*; al. Claud. 3,309 *hostilibus armis*; Coripp. Joh. IV 80 *hostilem temptare manum*; V 262 *turbasque . . hostiles*; 303 *hostiles . . . montes*; VI 293 *hostiles . . catervas*; 657 *hostiles . . . phalanges*; 707 *hostiles turmas*; al., ubi adiectivum *hostilis* incommodum casum genetivum *hostium* supplet.

Id denique admoneam utrumque poetam participiorum praes. in *um* exeuntium amantissimum fuisse. Collegi enim in carminibus Claudiani: 10,80 *amantum*; 24,351 *gementum*; c. m. 26,69 *medentum*; 5,317 *nocentum*; 26,398 *potentum*; 21,168 *regentum*; 28,279 *sequentum*; c. m. 53,45 *silentum*; 22,181 *timentum*; 3,126 *volantum* (in versus fine) — 22,147 *absentum*; c. m. 26,47 *calcantum* (in primo versus pede) — 20,64; 3,213 *salutantum*; 20,458 *texentum* (in secundo versus pede) — 18,207 *certantum*; 20,310 *venantum* (in

---

1) cf. Neue I 398 sq. II 66.
2) cf. Neue I pg. 401; Koene pg. 133; Bednara pg. 29.
3) cf. Koene pg. 69; 80; Norden pg. 187.

quarto versus pede). Corippus haec fere exempla dat[1]: Joh. III 250; IV 196; VI 710 *cadentum*; VIII 387 *furentum*; Just. II 371 *regentum*; II 391 *ovantum*; 420 *dolentum*; III 42 *canentum*; 160 *agentum* (in versus fine) — Joh. V 232; VI 745 *venantum*; Just. I 228 *flentum*; II 362 *plorantum*; III 289 *volventum* (in secundo versus pede) — Joh. VII 541 *morientum*; VI 509; VII 57 *fugientum*; Just. I 40 *regnantum*; II 305 *plaudentum* (in quarto versus pede).

β) Quibus formis tractatis transeamus ad casum ablativum numeri singularis et spectemus primum complurium substantivorum brevem terminationem *e*.

In ablativo vocis *ignis*[2]) forma longa *igni* epici solent sextum quidem hexametri pedem complere (cf. Verg. Aen. II 581; 649; al. Ovid. met. I 229 al. Claud. 3,9; 20,14; 26,156; c. m. 29,48; 53,57), sed brevi *igne* reliquos pedes (et quintum pedem: Claud. 5,254; 21,124; 26,610; R. Pr. I 233 et secundum pedem: 17,328 et tertium pedem: 26,231). Semel tantum Claudianus brevem ablativi formam in versus fine posuit: *Hoc meruit vel ponte Cocles vel Mutius igne* (18,445). Corippus autem in omnibus versus pedibus ablativum *igne* praebet (in primo pede: Joh. II 429; VI 156; Just. II 76; in secundo pede: Joh. VII 359; in quinto pede: Joh. VI 122; VII 339; Just. III 154; in sexto pede: Joh. III 452; VII 355; Just. II 230; III 187).

Apud Claudianum etiam aliorum substantivorum ablativus brevi vocali *e* finitur, commemoro *classe*[3]) (15,373; 526), *imbre*[4]) (1,43; 22,462; 28,538; c. m. 28,26), *turre*[5]) (15,86; 18,82).

Quater denique Corippus pro legitima forma *mīssīlī* cogitur dicere *mīssīlĕ* (cf. Joh. V 379; VI 671; VIII 544; 625[6]).

---

[1]) cf. Petschenigi indicem pg. 238.
[2]) cf. Vollmer, Stat. silv. comm. pg. 415.
[3]) cf. Neue I pg. 328; Bednara. pg. 31.
[4]) cf. Neue. IV pg. 174. Vollmer, Stat. silv. comm. pg. 415.
[5]) cf. Neue. IV pg. 368.
[6]) cf. Petschenigi indicem pg. 238.

Simili ratione adiectivorum quorundam ablativus pro longa vocali *i* in brevem *e* flectitur. Ex adiectivo *par*, cuius ablativus semper longam vocalem *i* praebet (cf. Ovid. met. III 122 al. Claud. c. m. 26,75[1]), composita *compar*, *dispar*, *impar* derivantur. Quorum verborum ablativi, qui in sermone pedestri longam formam flagitabant, ab epicis semper in *e* formantur. Enumero: Claud. R. Pr. II 45 *formā sed dīspărĕ* (Ovid. am. III 5,38 *compare*[2]); Verg. B. VIII 75 *impare*).

Idem poeta, dico Claudianum, qui legitime[3]) scribit *dŭplĭcī* (1,203; 17,334; 5,127), alio loco, ubi creticus imminet, brevem formam *simplice* pro *simplici* arcessere cogitur (cf. 3,217). Pari licentia ablativi versui inseruntur quales sunt: *supplice* (R. Pr. I 50; 21,212; c. m. 27,46; c. m. 30,223), *praepete* (3,262; eadem forma iam apud Ennium occurrit: ann. 437; 478). Huc pertinet exemplum, quod Claudianus e Vergilio videtur hausisse: Claud. R. Pr. III 416 sq. *O decus, o requies, o grata superbia matris, qua gessi florente deam, qua sospite nunquam inferior Junone fui.* Ad hoc cf. Verg. Aen. VIII 470 *maxime Teucrorum ductor, quo sospite nunquam res equidem Troiae victas aut regna fatebor*[4]). Ablativus *sospite* apud Corippum quoque obvius fit: Just. II 127 *sospite Justino.* — Duplici ratione incommodi casus adiectivi *dives* versui adaptantur, ita ut, ubi tribrachys et dactylus in consonam *m* exiens imminent, breviata forma *dis*[5]) adhibeatur (cf. Claud. 22,372 *dītĭbŭs* pro *dīvĭtĭbŭs exuviis;* R. Pr. II 97 *ditibus Assyrii*; 24,18 *ditior exuviis*; R. Pr. I 200 *ditior oblatas*; 3,299 *ditem* pro: *dīvĭtem*), at ubi creticus molestissimus est, dico in casu ablativo, brevis vocalis *e* sumatur (R. Pr. III 36 *se divite*; 28,598 *divite penna*; c. m. 27,84 *divite cultu*; R. Pr. III 372 *divite ripa*).

---

[1]) Kochius legit *pares* (cf. adnott. critt. pg. L).

[2]) cf. Bednara. pg. 31.

[3]) cf. Koene. pg. 91.

[4]) Hic locus similis deest in editione Birtiana (cf. pg. 392).

[5]) cf. Koene. pg. 128sq; Luc. Mueller. pg. 298; Lindsay-Nohl pg. 468.

Spectemus nunc substantivorum ablativos quosdam vocali *i* terminatos. In usu ablativi *mari* Ovidius et Claudianus inter se dissentiunt. Nam ille utpote qui priores dactylicos imitatus substantivum longe a praepositionibus separare noluerit, semper ablativum in brevem vocalem flectit[1]). Claudianus autem linguae Latinae usum violare veritus ubique praepositione *in* omissa formam *mari* scribit, cf. c. m. 40,16 *se vetito proluit ursa mari* et c. m. 53,64 *scopuli latuere mari.*

In ablativo vocis *caput* Catullus primus *capiti* pro *capite* videtur ausus esse[2]), sed reliqui poetae epici e syntaxi casuum remedium quoddam petiverunt. Interdum enim apud Augusteae aetatis poetas[3]) dativus ablativi locum capit, quem usum Claudianus et Corippus accipere non veriti sunt, cf. Coripp. Just. II 190 *coniuncta est capiti sapientia* (pro *cum căpĭtĕ* —➤ Ovid. a. a. II 528 *capiti demptas rosas* pro *de căpĭtĕ*).

Neque in minores difficultates dactylici nominis proprii ablativo *Vĕnĕrĕ* deferuntur, cum hoc vocabulum elidere vel in longam vocalem *i* flectere vix audeant. Itaque hic quoque dativus auctoris[4]) sucurrit ablativo: Claud. 14,2 *Dilectus Veneri nascitur Hesperus*; Coripp. Joh. IV 514 *Veneri dilectus Adon* (similiter iam dixerunt: Ovid. a. a. I 75 *Veneri ploratus Adonis.* Stat. silv. III 4, 33 *ibis ad arces neglectus Veneri*; V 3, 164 *Veneri plorata domus*); Claud. R. Pr. I 225 *inaccensus pectus Veneri*; contra 8,537 *prostratus Apolline* (pro: *Apŏllĭnī* vel *ab Apolline*). — Verbum *haerere* Vergilius[5]) coniungit et cum *in* et ablativo (Aen. II 654 *haeret in sedibus*) et cum dativo praepositione omissa (IV 73 *haeret lateri*), qua cum verborum compositione locus quidam

---

[1]) cf. Neue I pg. 354; Bednara pg. 30.

[2]) cf. Neue I pg. 366; Bednara pg. 31.

[3]) cf. Verg. Aen. X 270 *ardet apex capiti* (Norden, comm. pg. 227).

[4]) cf. Norden, comm. pg. 312; Bednara A. L G. XIV pg. 509; G. Landgraf, Muenchen. Prgr. (1899) pg. 11.

[5]) cf. Koene pg. 112; Norden comm. pg. 227.

Corippeus congruit: Joh. II 314 *lateri Ricinarius haerens* (pro: *in lătĕrĕ* vel *in lateri*)[1]).

Similis denique constructio verbo *coniungere*[2]) admittitur, cf. Coripp. Joh. IV 447 *coniunctos lateri nostro* neque aliter 583 *iunctus erat lateri*; VI 690 *qui lateri iungunt.*

In adiectivorum usu Claudianus metri causa ter contra sermonis pedestris consuetudinem ablativum nominis *vetus* in longam vocalem *i* flectit, cf. 19,23 *vĕtĕrīque reducta paelice;* 20,11 *veteri post obruta morbo*; 20,232 *Auspicium veteri sedet ferale sepulcro*, complurics autem aliorum adiectivorum longam formam retinet: 8,456 *Marte . . . ancipiti* (*ancĭpĭtĕ*); 28,463 *ancipiti*; 11,23 *ancipiti gradu* (in hendecasyllabo alcaico); item Coripp. Joh. IV 65; Claud. 5,185; 26,115; Coripp. Joh. III 220 *praecipiti*; Claud. R. Pr. II 40 *tereti.* Corippus adiectiva vel participia, quae plerumque adiectivorum vice funguntur, in versus fine ubique fere in longam vocalem flectit: Joh. I 20; II 136; VIII 539 *tenaci*; I 62 *feroci*; VI 35 *minaci*; 50 *sequaci*; 152 *bipenni*; VII 60 *recenti;* VIII 544 *frequenti*; Just. I 210 *potenti*; Joh. IV 11 *sedenti*; VI 460 *silenti*; 493; VIII 226 *sequenti*; VII 338 *fluenti*; semel autem inveni Just. II 388 *videntĕ.* Intra versum admittitur et longa vocalis *i:* Joh. I 452 *gentili*; 505 *praesenti;* II 300 *maerenti*; IV 133; 177 *letali*; V 353 *ingenti*; VI 459 *squalenti*; 474 *viridanti*; 660 *flagranti*; VII 79 *vigilanti*; VIII 229 *ferventi*; 585 *mordaci*; Anast. 51 *felici*; Just. I 90 *stridenti* (cf. Ovid. met. IV 123 *stridente foramine*) et brevis vocalis *e* in thesi secundi, tertii, quinti pedis: Joh. VI 19 *silentĕ*; 654 *stridente*; 669 *impendente*; VIII 359 *maerente*; Just. I 191 *gaudente*; II 20 *distante*; 177 *praesente*; III 203 *fulgente*; 292 *stringente*; IV 215 *sitiente* al.

4) de quarta declinatione.

Apud poetas dactylicos propter creticum et tribrachyn quin etiam metro non cogente interdum casus dativus numeri

---

[1]) cf. Ovid met. VI 592 *lateri dependent vellera*; II 449 *iuncta deae lateri*; semel etiam: *lătĕrĕ inde* (VII 471).

[2]) cf. pg. 69.

singularis in *u* pro *ui* exit[1]), quales formas etiam Caesar in sermone pedestri adhibitas fertur probasse[2]). Exempla, quae apud Corippum plane desunt, in Claudiani carminibus rarissime adsunt[3]) 10,50 *invius humano gressu* (*grēssŭī*), sed alterum quoddam exemplum in reliquis omnibus carminibus vix invenies. Ceterum idem poeta cum alios quartae declinationis casus dativos tum maxime genetivum numeri pluralis et duplicem vocalem *u* (cf. Ovid. met. IV 39. *manuum*) et simplicem (cf. Verg. Aen. VI 653 *currûm*[4]) praebentem anxie effugit.

Semel autem mirum in modum genetivus vocis *ales* in duplicem quartae declinationis vocalem *u* flectit, non solum, quod legitima genetivi forma *alitum* dactyli in consonam *m* exeuntis causa nostro poetae omnino adhibere non licebat, sed etiam quia eandem licentiam iam a prioribus dactylicis inveniebat exemplis firmatam[5]). Itaque Claudianus imitatione quadam excusandus est, cum scribit: *alituum suspensa cohors* (c. m. 44,76).

5. De nominibus abundantibus.

Sic vocantur vocabula, quorum forma duplex vel secundaria partim exstat partim a poetis ipsis fingitur[6]).

α) Primum enumerabo heteroclita, qua voce significantur formae in alteram quandam declinationem transeuntes.

In nonnullis primae declinationis vocibus casus nominativus numeri singularis natura cadens in tribrachyn per

---

[1]) cf. Koene, pg. 96; Lindsay-Nohl, pg. 444; Norden, pg. 248; Neue I pg. 541 sq.; 545; Bednara, pg. 31 sq.; Klotz A.L.G. XV pg. 402.

[2]) cf. Gellium (IV 19,6). Apud Caesarem ipsum legi *casu* pro *casui* (B.G. VI 42,1).

[3]) Exemplum nostrum in Luc. Muelleri commentatione neglectum est (pg. 478).

[4]) cf. Norden, comm. pg. 292.

[5]) cf. Koene, pg. 96 sq.; Buecheler, Lat. Decl. pg. 42; Neue I pg. 429.

[6]) cf. Lindsay-Nohl, pg. 397; Bednara, pg. 32.

terminationem *ēs* sine elisione metro epico potest inseri [1]). Claudiani et Corippi exempla haec sunt: *Avarities* (*avarĭtĭă*) Claud. 7,185; *Luxuries* (Claud. 3,206; 15,183; 22,132); *materies* (Claud. 18,343; R. Pr. I 60; Coripp. Just. III 117; IV 18; 113; 159); *barbaries* (Claud. 21,102; 8,49; 17,250); *mollities* (Claud. 18,341); *segnities* (R. Pr. III 135).

Ad exemplum Vergili, Ovidi, aliorum [2]) Claudianus in casu accusativo numeri singularis promiscue formas in syllabas *am* et *em* exeuntes metro minime coactus exhibet, cf. 15,432; 5,79 *barbariem* + cons.; 22,17 *materiem* + cons.; 18,193 *avaritiam*; 18,262 *nequitiam*; 24,107 *materiam*; dubia autem lectio in his vocibus est: 10,23 *luxuriem* (φ), *luxuriam* (A.Λ.); c. m. 29,43 *materiam* (V.P.), reliqq. *materiem*. Corippus semper in casu accusativo priscam terminationem servavit: Anast. 30 *avaritiam*; Just. praef. 38 *materiam*.

In tertia declinatione substantivi *senectus* casus nominativus optime quidem a dactylicis poetis in versus fine collocari poterat [3]) (cf. Claud. c. m. 25,63; 27,103; 22,410; 28,534; 18,94; Coripp. Joh. IV 517), sed cum casus obliqui molestissime vel omnino non adhibendi essent, ab altero substantivo *senecta* repetebantur. Conspiciamus Claudiani exempla: 26,53 *humilemque metum depone senectae* (*sĕnēctūtĭs* vel *sĕnēctūtīs* + cons.); 15,115 *emeritae iam praemia nulla senectae* (*sĕnēctūtī*). Similiter Corippus semel egit: Anast. 48 *fessae miserere senectae* (*senectutis*). Compluries etiam Claudianus illud *senium* arcessivit; cf. 15,208 sqq. *Dixit et adflavit Romam meliore iuventa. Continuo redit ille vigor seniique colorem mutavere comae*; 446 *confectus senio* (*sĕnēctūtĕ*); R. Pr. III 259 *Sola domi luctu senium tractura relinquor*; c. m. 25 pr. 6 *Hunc mihi praeponit vel senium vel honos* (alterum substantivum *senectus* nulli pentametri pedi immitti potest); 20,369 *ignoscant senio* (*sĕnēctūtī*) [4]).

---

[1]) cf. Koene, pg. 40; Bednara, pg. 32.

[2]) cf. Koene, pg. 197.

[3]) cf Bednara, pg. 34.

[4]) cf. Coripp. Just III 76 '*post senium*' *dicunt* '*sese iuvenescere mundus gaudet*'.

Idem fere de altero substantivo *iuventus* statuendum est, cuius casum nominativum semper in versus fine invenimus positum[1]) (cf. Claud. 1,155; 15,425; 8,331; 466; 21,315; 26,150; 467; Coripp. Joh. VI 703). Casus obliquos autem Claudianus secundum priorum poetarum morem[2]) ex secundaria forma *iuventa* deduxit (3,140; 22,351; 10,326; 26,498; al. *iuventae* pro *iŭvēntūtĭs*; 24,120 *sic cauta iuventae frena dedit*; 18,315; 22,414 *iuventam* pro *iuventutem*; 28,580; 15,208 *iuventa* pro *iŭvēntūtĕ*). Semel denique haec circumscriptio occurrit[3]): 8,385 sqq. *Sed proelia differ in iuvenem patiensque meum cum fratre tuere me bellante locum* (*iŭvēntūtēm*).

Relinquuntur duo substantiva *domus* et *laurus*, quorum alterum *domus* inde a Plauto usque ad Sullae aetatem plerumque quidem in secundam declinationem flectitur[4]), sed apud dactylicos, cum vox incertae flexionis sit[5]), in casu accusativo numeri pluralis promiscue formas *domos* et *domus* admittit: *domos* (Catull. 64,36; Verg. Aen. I 139; G. II 115 al.; Stat. silv. I 4,73; Claud. 18,60; 21,298; 8,212; sim. Coripp. Joh. VII 504), *domus* (deest apud Catullum et Vergilium, adest apud Ovidium, met. I 121 al. incertumque unum Claudiani exemplum est, cum cod. D solus det *domus* in R. Pr. II 220).

Alterum etiam nomen *laurus*[6]) in casu accusativo numeri pluralis praebet et formam *laurūs*, quae placuit Catullo (94,289), Vergilio (Aen. III 360 al.), Claudiano (21,384; 8,25; c. m. 30,44; 28,120), Corippo (Joh. III 85). Alteram autem formam praeter Corippum, qui ter fere *lauros* scripsit (Joh. pr. 1; VI 62; 173) plurimi dactylici, dico Catullum, Vergilium, Claudianum[7]), videntur sprevisse.

---

[1]) cf. Bednara, pg. 34 sq.
[2]) cf. Neue I 981; 231.
[3]) cf Birti indicem pg. 529.
[4]) cf. Lindsay-Nohl, pg. 393 sq. Neue, I 968; 1008.
[5]) cf. Quintilian. I 6,5.
[6]) cf. Lindsay-Nohl, pg. 327; Neue I pg. 931 sq.
[7]) Nam huius poetae exemplum in carm. 21,384 positum satis incertum est.

β) Transeamus nunc ad secundum nominum abundantium caput, quod nonnulla substantiva in aliud genus abeuntia complectitur.

α'. Masculinum cum neutro confunditur:

Pro usitatiore masculini forma *clipeus*[1]) semel apud Vergilium (Aen. IX 709) rarius neutrum *clipeum* legitur: *clipeum super intonat ingens* (certe propter molestam consonae *s* geminationem). Eadem forma mihi apud Ovidium occurrit in met. IV 780 *clipei, quod laeva gerebat*, contra masculinum ubique retinetur a Claudiano: 3,255 *clipeusque . . . porrectus in hostem*; 15,24 *squalentem clipeum*; c. m. 53,78 *aureus ardescit clipeus* (*aūrĕum*), a Corippo: Joh. II 443; V 362 *clipeos* (*clĭpĕă*).

Substantivum *specus*[2]) apud dactylicos ubique fere masculinum est (cf. Catull. 61,28 *rupis aonios specus*; Ovid. met. III 29 *specus . . . virgis ac vimine densus*; VII 409 *specus est tenebroso caecus hiatu*). Corippus autem, fortasse Vergilium imitatus, qui unum ipse exemplum vocis *specus* in neutrum transeuntis praebet (Aen. VII 568 *hic specus horrendum*) in Joh. VIII 393 scripsit: *fluviumque cruoris dat specus irruptum siccasque infundit harenas*[3]), sive poetae genus huius vocis ignotum fuit sive molesta littera *s* iniucunde iterata.

β' Genus femininum cum neutro permiscetur.

In Vergili carminibus ubique genus femininum vocis *gaza* servatur (Aen. V 40 *gazā laetus agresti*),apud posteriores autem christianos[4]), dico Commodianum, Dracontium, Corippum (cf. Just. IV 334 *servans pia gază sacelli*) haud

---

[1]) cf. Koene, pg. 55; Neue, I pg. 793 sq.

[2]) cf. Appel, pg. 33; Neue, I pg. 850; 1010.

[3]) Verg. Aen. IX 700 sq. *reddit specus atri vulneris undam spumantem . . .*

[4]) cf. Appel, Beiträge zur Erklärung des Corippus, Muenchen 1904; pg. 33; Appel, de genere neutro intereunte in lingua Latina, Erlang. 1883; W. Meyer, Die Schicksale des lat. Neutrums. Halle 1883; Joh. Schmidt. Pluralbildung d. idg. Neutra, Weimar 1889.

raro generis perturbatio fit. Dubia sunt duo alia Corippi exempla; nam in Joh. VI 246 *turbant animos impensa locique difficilesque viae* utrum vocabulum *impensa* neutrius vice fungatur, id quod videntur monere numeri plurales *loci* et *viae*[1]), an numerus singularis sit, cuius pluralis legitur (Joh. VII 206; VIII 27) quaeritur. In *Justino* (IV 82) denique incerta quidem est lectio codicis *M* a Partschio retenta *quos illic ludos, quae feria vulgus habebat*, sed ab Appelio[2]) non inepte fulcitur argumentis, quibus pauca ipse addam. Exempla, quae Petschenigius, ut probaret coniecturam *seria* in textum receptam, attulit[3]), non respondent sententiae nostri versus. Postquam enim Justinus avunculi mortui funus (cf. Just. III 28—61) exornavit, *post luctum populus pristina laetitia iucundatur*[4]) et cum ubique *gaudia* sunt non *seria* (cf. III 62; 67—74; 85; 137; 151; 231) tum maxime in quarto libro, ubi *videres mille voluptatum species* (vers. 84).

γ') Etiam neutrum cum genere masculino confunditur. Sermo aureae aetatis poeticus numero plurali vocis *caelum* caret, qui exempli causa apud Lucretium[5]) non deest. Corippus, qui ceterum una cum Vergilio, Ovidio, Claudiano, aliis numerum singularem neutrius generis admittit (*caelum*: Joh. VIII 361; 385; Just. II 13; III 244; IV 285; *caeli*: Joh. VIII 368; Anast. 12; Just. IV 257 al; *caelo*: Just. I 55; II 26; III 190; 228; IV 216), in numero plurali (cf. Just. II 145 *in caelis*) semel, nisi fallor, genere masculino utitur: Joh. VIII 332 sq. *vox undique caelos pulsat* . . .

In numero plurali substantivi *frenum*[6]) Claudianus et Corippus magnopere inter se dissentiunt. Usitatior enim

---

1) cf. E. Appel, pg. 33.
2) cf. E. Appel, pg. 67.
3) cf. Petschenigi editionem pg. 208.
4) quae verba continentur in tertii libri periocha.
5) cf. Neue, I 624; 791; cf. hanc comm. pg. 45 adn. 1.
6) cf. Neue, I 696; 817;

apud epicos forma *frena* est, quae saepe in Vergili, Ovidi, Claudiani carminibus occurrit, at rarissime invenitur genus masculinum *frenos* (cf. Verg. G. III 184; Claud. R. Pr. III 180). Contraria autem ratio apud Corippum cognoscitur, qui saepe adhibet formam *frenos* (Joh. III 108; 288; IV 42; VI 624) et rarissime *frena* (Joh. VII 340).

γ) Tertium nominum abundantium caput formas quasdam continet, quae neque in alteram declinationem neque in alterum genus transeunt sed consona finali tantum inter se differunt. Agitur autem de formis *honos* et *honor*[1]), quibus dactylici poetae plerumque promiscue utuntur. Usitatior est apud Vergilium et Claudianum vox *honos* (Verg. Aen. I 609 al. Claud. 1,13; 8,169; 17,146; 18,488; 22,314; 28,653; R. Pr. III 280 al.), quem usum etiam Corippus in *Johannide* sequitur, cf. Joh. I 148 sq. *hic pietatis amor* . . . *hic virtutis honos* (cf. Verg. Aen. I 253 *hic pietatis honos?*); item Joh. II 252; 313; IV 415; VI 141; VIII 85; 103; qua de causa forma *honos* etiam in Joh. IV 118 retinenda est: *summus honos summusque favor* (cf. vers. 122 *opus* —> *virtus*; 123 *fides* —> *cives*).

Nominativus *honor* autem, qui quater exstat apud Claudianum (17,8; c. m. 30,193; 35,5; R. Pr. III 9), cum unum exemplum incertum sit (3,385 *honor* φ), a Corippo ubique in panegyrico adhibetur (Just. I 343; III 64; IV 182).

b) de singulis coniugationibus.

Primum breviter adnoto priscum optativum perfecti productum[2]), perfecti terminationem *ĕrunt*[3]), vulgarem syncopam syllabae *is* in perfectis[4]) atque infinitivum praes.

---

[1]) cf. Neue I 203-65; Lindsay-Nohl, pg. 409.

[2]) cf. Lachmann, comm. pg. 206 sq. Luc. Mueller, pg. 368.

[3]) cf. Koene, pg. 162; Luc. Mueller, pg. 454 sq. Lindsay-Nohl, pg. 611; O. Keller, pg. 201 sq. Bednara, pg. 36; Trampe, de Lucani arte metrica diss. Berl. 1884.

[4]) cf. Norden, comm. pg. 140; Neue, III pg. 500 sqq. Bednara, pg. 37.

pass. in *ier* exeuntem[1]) apud utrumque nostrum poetam plane deesse.

1) Nunc nonnulla remedia singulis coniugationibus communia praemittamus.

α) de syllabis finalibus *ērĕ* et *ērūnt.*

Cicero[2]) imminutas quidem formas a poetis adhibitas non vituperat, sed plenas scriptoribus sermonis pedestris aptiores esse censet. Saepissime Claudianus et Corippus correptas perfecti formas inde ab Ennianis temporibus[3]) notas usurpaverunt, utpote quae in pluribus versus pedibus collocari possent quam graviores in *runt* exeuntes. Spectemus nonnullas verborum formas:

[- - - - ᵕ pro: - - - - -] Claudiani: 8,98 *confirmavere*; sim.: R. Pr. III 199; 5,119; 8,117; 21,57; R. Pr. III 167. Corippi exempla desunt.

[- - - ᵕ pro: - - - -] Claudiani: R. Pr. III 19 *abduxere*; sim. 1,111; 206; 18,101; 20,29; 5,107; 15,364; R. Pr. I 124; 144; 237; II 296 al. Corippi: Joh. III 427 *invenere*; sim.: IV 53; 69; 104; 338; 401; VI 197; 307 al.

[- - ᵕ pro: - - -] Claudiani: 5,318 *crevere*; sim.: 15,98; 406; 7,72; R. Pr. I 49; II 10; 43; III 245; al. Corippi: Joh. I 402 *fecere*: sim. 369; 563; II 421; 470; IV 139; VI 375; VII 114 al; plena forma plerumque in quarto versus pede legitur: Joh. III 268 *senserunt*; sim.: IV 83; VIII 128; 472; etiam in secundo versus pede: Joh. V 58 *torserunt*; VI 506 *cesserunt.*

[- ᵕ ᵕ - ᵕ pro: - ᵕ ᵕ - -] Claudiani: R. Pr. I 210 *conticuere*; sim.: 26,343; 18,317; 20,285; 9,11; R. Pr. I pr. 10; II pr 8 Corippi: Joh. II 124 *deseruere*; sim.: III 286; IV 251; 339; 400; V 156; VI 120; 516; 695; al.

[ᵕ - ᵕ pro: ᵕ - -] Claudiani: 15,52 *dedere*; sim. Corippi: Joh. VI 696 *dedere*; sim. Just. I 200; III 388.

---

[1]) cf. Neue III pg. 223 sqq. A. L. G. VII pg. 132; Bednara pg. 39 sq.

[2]) cf. Cicero, orat. CLVII.

[3]) cf. A. L. G. XI pg. 508; Bednara, pg. 36 sq.

[⏑ ⏑ – ⏑ pro: ⏑ ⏑ – –] Claudiani: 20,485 *cecidere*; sim. 10,303; 8,145; 8,147; 26,62; 21,190; c. m. 30,81; 15,407; 5,411 al. Corippi: Joh. I 95 *iacuere*; sim.: 528; II 354; III 446; IV 25; VIII 2; Just. I 94 et saepissime. Plenae formae ubique quarto versus pede continentur: Joh. IV 175 *rubuerunt*; V 32 *cecinerunt*; VI 89 *didicerunt*; VIII 409 *gemuerunt*; 552 *secuerunt*; Just. I 198 *strepuerunt* al.

β) de perfectis in *avi evi ivi ovi* exeuntibus[1]).

Plautus plena et contracta forma pariter fere utitur, apud Terentium rariores sunt non contractae[2]) Ciceronisque aetate perfecta consona *v* omissa usitatissima erant[3]). Apud dactylicos denique omnium temporum poetas contractae formae frequentiores quam plenae sunt, id quod in Claudiani quoque et Corippi carminibus animadvertimus. Nativa perfecta partim metro cogente cedunt contractis: Claud. 10,310 *cruentarint* (*cruentāvĕrīnt*) 26,70; 18,15 *temptarint*; 28,455 *excierant*; R. Pr. III 188 *adpetiit* (*ādpĕtīvit*) al. Coripp. Joh. VIII 498 *finierat* + cons.; sim. I 475; VIII 375; Just. III 88; IV 266 al.

Antispasto occurritur: Claud. 26,19 *animasse* (*anĭmāvīssĕ*) sim.: 508; 22,301; 20,328; 28,158; 282; c. m. 17,29 *properastis in ignes*; sim. Coripp. Joh. I 398 *remeasset ab hoste*; sim. II 318; VI 341; VIII 32; VI 2; III 312; VIII 296; 636 al.

Poetas etiam commoditatis gratia contractas formas maluisse hac stabella ostendatur:

[⏑ – – pro: ⏑ – – –] Claud. 18,457 *negasti*; sim.: 5,23; 21,296; 8,370; 15,247; Coripp. Joh. VI 661 *negasset*.

[– – ⏑ pro: – – – ⏑] Claud. 18,87 *mandasse*; sim.: 15,384; 22,326; 21,313; 24,92 al. Coripp. Joh. II 238 *implesse*; III 233; 284; IV 22; 206; 341 al.

---

[1]) cf. Koene, pg. 172 sq; 181 sqq. Corssen, I pg. 317 sqq; Neue III pg. 430-50; Birt, die Verbalformen vom Perfectstamme bei Claudian, A. L. G. IV pg. 589 sqq. Bednara, pg. 38 sq.

[2]) cf. Engelbrecht, Beob. üb. d. Sprachgebr. d. lat. Komiker Wien. Stud. 84 pg. 219 sqq.

[3]) cf. Cicero orat. XLVII 157.

[- - - pro: - - - -] Claud. c. m. 4,12 *portassent*; sim. 7,39; 8,164; 7,21; 15,118; 20,505; 5,190; al. Coripp. Joh. I 60 *manarunt*; sim.: 473; III 211; 300; VI 618; 645; VII 188; Just. III 211 *explerunt*; al.

[- - - ⏑ pro: - - - - ⏑] Claud. 10,116 *debellasse*; sim. 28,465; 26,597; semel autem R. Pr. III 79 *debellavisse*; Coripp. Joh. IV 497 *ēxōrnārăt*.

[⏑ ⏑ - - pro: ⏑ ⏑ - - -] Claud. 17,30 *revocasti*; sim.: 20,127; 21,180 *penetrassent*; 8,604 *dubitassent*; Coripp. Just. IV 138 *renovasti*.

γ) de syllabis finalibus *ris* et *re*.

Apud Plautum verborum syllabae finales *ris* et *re* promiscue obviae sunt[1]), quae etiam a Cicerone minime spernuntur[2]). Qua de causa non mirum est, quod Claudianus quoque satis magno numero similium exemplorum carmina exornavit et metrum dactylicis formis ditavit:

tabella I [⏓ - ⏑ ⏑ pro: - - ⏑ ⏓] 18,25 *bacchabĕrĕ rebus* pro *bacchābĕrīs rebus*; 22,284 *cunctabere*; 15,380 *dignabere*; 10,281 *donabere*; 26,501 *elabere*; R. Pr. II 293 *ditabere*; II 284 *mirabere*; 245 *lugebere*; 3,144 *dominabere*; c. m. 22,54 *ornabere*; 5,277 *placabere*; 333 *portabere*.

tabella II [- ⏑ ⏑ - ⏑ pro: - ⏑ ⏑ - ⏓] 5,276 *experiere*; 24,196 *conspiciare*; c. m. 26,8 *praetereare*.

tabella III [⏑ ⏑ - ⏑ pro: ⏑ ⏑ - ⏓] 19,45 *feriere*; 20,223 *paterere*; 10,257 *paterere*; 7,129 *veherere*; 21,341 *timeare*; 22,71 *venerere*; 73 *moderere*; R. Pr. I 46 *premerere*.

Contra Corippus rarissime hanc licentiam admisit, cf. Joh. VII 524sq. *tu quippe fugaces quos populos nunc rere magis, non terror acerbus hos agitat victosque pavent*, quocum versu locus quidam Vergilianus potest comparari (Aen. III 381) *Italiam, quam tu iam*[3]) *rere propinquam vicinos-*

---

1) cf. Neue, II² pg. 393 sqq.

2) cf. Lindsay-Nohl, pg. 612 sq.

3) saepe enim *iam* idem est ac *nunc*; cf. Ovid. met. II 363; Verg. Aen. II 34; XI 17; Claud. 1,248; 250; 4,2 al. (cf. Birti edit. pg. 521; Lindsay-Nohl, pg. 656).

que, ignare, paras invadere portus, longa procul longis via dividit invia terris. Propter similitudinem quandam et verborum et sententiae Corippus hoc loco ex Vergilio videtur pendere. Commemoratione denique hic Corippi versus dignus est: *mirabere forsan, quod dixi geminos pariter consurgere soles* (cf. Just. II 152).

2) Quibus remediis tractatis singulas coniugationes spectemus.

α) primam coniugationem.

Composita verbi *plicare* [1]) ab orationis solutae scriptoribus solent flecti in *avi atum.* Epici autem tales syllabas finales, quibus semper fere trochaeus antecederet, omittere necessitate metri cogebantur. Itaque in versibus dactylicis Claudiani et Corippi ubique commodiores formas in *ui itum* cadentes invenimus: Claud. 2,8 *ĕxplĭcŭērĕ* pro *ēxplĭcāvērĕ* (in altero pentametri hemistichio); item: 5,302; 352 *explicuit* pro *ēxplĭcāvit*; Coripp. Just. IV 17 *explicitas* pro *ēxplĭcātas*; eodem modo ab utroque poeta compositum *implicare* flectitur: Claud. 8,538 *implicuit*; c. m. 17,8 *implicuere*; 20,442 *implicitus*; at c. m. 29,35 *implicat*; Coripp. Joh. VI 572; 580; VII 460; VIII 192; 585 *implicitis*; Joh. I 21; IV 602; V 419 *implicitas*; V 380 *implicitosque.*

De secunda coniugatione nihil est, quod dicam, nam alternationis verborum et in *eo* et *o* exeuntium [2]) mentionem

β) in tertia coniugatione faciam.

A poetis dactylicis infinitivus in *ĕre* cadens alteri *ēre* anteponitur [3]):

fervĕre (Verg. G. I 456; Aen. IV 409 al. Coripp. Joh. I 104).

fulgĕre (Verg. Aen. VI 827; Coripp. Just. III 257).

effulgĕre (Verg. Aen. VIII 677; Claud. 28,546).

---

[1]) cf. Koene, pg. 188; Neue III 523 sqq.

[2]) cf. Lindsay-Nohl, pg. 547. Meillet, mém. de la soc. d. lingu. XIII 363 sqq.

[3]) cf. Wotke, Wien. Stud. VIII pg. 144; Norden, comm. pg. 323 sq.

stridĕre (Verg. saepius; Coripp. Joh. V 478; Just. IV 21; 48; semel etiam *stridēre* cf. Joh. V 65).

Reliquis horum verborum formis iam priores epici promiscue utuntur et Corippus utrique quidem coniugationi favet sed magis secundae: Joh. I 182 *refulget*; 329; VII 237 *fervet*; V 65 *strident*; al.[1]); Joh. V 478; Just. IV 48 *stridunt*; IV 21 *stridit*.

Contra a Claudiani carminibus alienae sunt verborum formae secundum tertiam coniugationem declinatae, quas tenent deteriores tantum editiones et repellunt ubique optimi codices inprimis Gyraldinus. Profero: c. m. 27,59; 15,351; al. *fervet*; 15,300 *fervĕret*; 8,10 *effulget*; R. Pr. I 12; III 399; 1,101 *strident*; 24,60 *affulget*[2]) (sic. codd. V. P.); 18,268; 20,375; R. Pr. II 275 *deterget* pro *detergit*; 17,191 *deterges*; semel autem miro codicum consensu legitur *stridunt* (20,106).

In usu simplicis verbi *canere* a Claudiano nativa perfecti forma *cecini* ubique retinetur: 25,5 *cecini*; 21,4 al. *cecinit*; 1,198; 8,145; c. m. 30,82 *cecinere*; 20,47 *cecinisse*; aliter autem in perfecto flectitur usitatum illud compositum *concinere* apud Tibullum[3]), Ovidium (am. III 9,24 *concinuistis* pro *cōncĭnīstis*)[4]) Lucanum (I 238 *concinuit*) Claudianumque (17,272 *concinuit felix Helicon*).

Quod Claudianus semel verbi formam *potĭtur* (20,218 *quorum coniugibus potĭtur natosque peremit*) fingit, iam priores dactylici eandem mensuram sibi concesserunt[5]).

γ) De quarta coniugatione.

In imperfecto quartae coniugationis Plautus[6]) aliique veteres poetae syllabas *ībam* et *iebam* promiscue admittebant, dactylici autem partim brevioribus formis vetusculi coloris

---

[1]) cf etiam: Just. III 185 *fulget*.

[2]) cf. Birti editionem pg. 223.

[3]) cf. Lindsay-Nohl, pg. 585.

[4]) cf. Bednara, pg. 40.

[5]) cf. Catull 64,402 *potĕretur*; Verg. Aen. III 56; IV 217 *potĭtur* al.

[6]) cf. Skutsch, Atti del congresso internaz. di scienze storiche, Roma 1903 pg. 202.

gratia utebantur, partim longas propter creticum et tribrachyn metro omnino inserere non poterant[1]), quo in numero etiam Claudianus (18,84 *lenībat* pro *lēnīēbat*)[2]) et Corippus (Joh. VI 512 *munībat* pro *mūnīēbat*) fuerunt.

Restat, ut de verbi *ciere* compositis disseram. Simplicis verbi *ciere*[3]) formae apud dactylicos semper secundam coniugationem praebent: Claud. R. Pr. III 169 *ciet*; 5,462 *cient*; R. Pr. I 113 *ciebo*; Coripp. Joh. I 553; VI 552 *ciet*; III 104 *ciens*; VI 575 *ciebant*; VIII 165 *ciere*. Verborum compositorum participia perfecti partim in tertiam partim in quartam coniugationem flectuntur. Spectemus participia compositorum: *accire concire excire.*

Claud. 15,171; 28,90 *accītus*; 20,152 *accīto turbine*;

Coripp. Joh. II 54 *accītus* I 113 *acciri*; Just. III 158 *accīti proceres.*

Claud. 5,472 R. Pr. II 11 *concĭta*; c. m. 53,79 *concĭtus*;

Coripp. Joh. I 433; IV 309; V 99; 335 *concĭtus*; Just. I 68 *concĭta.*

Claud. 26,640; c. m. 25,26 *excīta*; 20,406 *excītis* (cf. Catull. 64,56 *excĭta*; Verg. Aen. IV 301 *excĭtus*; III 676 *excītus*; Ovid. met. II 779 *excĭtus*; VIII 338 *excītus*); Coripp. Joh. I 422 *excīta.*

δ) De verbo *ire* et compositis.

Verbi simplicis perfectum a Plauto[4]) praeter septem fere exempla ubique sine consona *v* formatur. Dactylici modo plenam modo breviatam formam, prout metrum iubebat, adhibuerunt. In Claudiani carminibus semel (c. m. 25,66) perfectum *iit* duplicem vocalem habet, at Corippus dat Joh. V 13 *ivit*; Just. III 295 *ivimus.*

Quod ad composita verbi *ire* attinet, prisca illa syllaba *īt* in tert. sing. perf. indic., quae inde a Lucreti tem-

---

[1]) cf. Koene, pg. 13; 171; Luc. Mueller, pg. 512; Norden, comm. pg. 248 sq.; Bednara, pg. 41.

[2]) cf. Verg. Aen. VI 468 *lenibat*

[3]) cf. Norden, comm. pg. 248.

[4]) cf. Bechtel, N. G. W. 1899, 189; Lachmann, comm. pg. 209.

poribus apud epicos producta servatur[1]), a Claudiano et Corippo spernitur. Claudianus ubique fere duplicem vocalem *i* contrahit etiam metro non cogente: 19,4 *abīsse*; 5,387 *redi* pro *redii*; 26,89 *redīt;* 26,354 *subīt*; c. m. 32,16 *subīsti*; contra: 17,280 *fasces subiisse* pro *fascēs sŭbīsse*; 15,60 *cum subiit*[2]).

Corippus semel in composito duplicem vocalem *i* contrahit Just. II 268 *transīsse* pro *trānsĭīsse*, quater fere duplex vocalis retinetur: Joh. IV 200 *periit*; V 12; VIII 600 *transiit* (cf. Stat. Theb. XII 750 *transiit hasta duos*); Just. I 177 *periisse.* Restant: Joh. IV 173; V 196; 238; 424 *transivit*; Just. IV 318 *abivit*; quin etiam bis futurum compositi *perire* in tertiam coniugationem transit: Joh. VI 44sq. *periet gens impia Mazax deficietque fame.* VIII 27 *perient nihilominus.*

ε) de copula *esse.*

Forma *est* cum voce *pŏtĭs* coniuncta inde ab Enni[3]) temporibus ab epicis poetis pro graviore verbo *potest* ponitur, quem usum inprimis Catullianum[4]) et Vergilianum[5]) Corippus ter fere sequitur: Just. III 274 *cuius Threicium pŏtĭs est exercitus Hebrum exhausto siccare lacu*; Joh. VI 443 *nec cursum tendere rectum nec pŏtĭs est revocare gradum*; Just. III 407 *rerumque favorem in quantum pŏtĭs est, devota mente notabo.* (Hoc loco illud *potis est* ponitur pro *fieri potest* vel *possum* vel utriusque formae futuro).

II. De flexione Graecanica.

Ennius, qui primus dactylico metro e Graecorum lingua in Latinam translato usus est et poetae qui eum secuti sunt,

---

[1]) cf. Luc. Mueller, pg. 295; Koene, pg. 235; Lindsay-Nohl, pg. 67; 165; 541. Neue III pg. 426 sq. Bednara, pg. 35.

[2]) cf. Vollmer, Stat. silv. comm. pg. 512; app. pg. 556.

[3]) cf. Lachmann, comm. pg. 316; Neue II pg. 173 sqq. Lindsay-Nohl, pg. 627 sq.

[4]) cf. Bednara, pg. 41.

[5]) cf. Verg. Aen. III 671; IX 796; XI 148.

inprimis Augustei, carmina Graecis vocabulis[1]) vel syllabis finalibus[2]), nec minus constructionibus e Graecorum usu derivatis aliisque remediis ditaverunt, non solum ut exornarent orationem sed etiam quod metrum haud raro Latinas voces respuebat. Claudiani et Corippi usum breviter exponamus:

a. in prima declinatione.

1) In casu nominativo numeri singularis Graeca terminatoo ē pro brevi Latina ă posita[3]) molestam elisionem vocabulorum in tribrachyn exeuntium saepe vitat Claud. c. m. 30,1 *Calliopē* pro *Callĭŏpă*; R. Pr. II 61 *Cyane*; 18,325 *Cybele*; 10,166 *Cymothoe*; 8,471 *Ephyre*; 15,130 al *Hecate*; 17,298 *Helice*; 11.35; 18,333 *Hippolyte*; 24,249 *Leontodame*; 24,304 *Leucothoë*; 7,196 al. *Lipare*; 10,237 *Mnemosyne*; 24,250 al. *Nebrophone*; c. m. 30,31 *Penelope*; R. III 244 *Persephone*; R. Pr. II pr. 44 *Pholöe*; 5,291 *Phodope*; 9,9 *Terpsichore*; R. Pr. I 40 *Tesiphone*; 17,274 *Uranie*.

Coripp. Joh. III 275 *Libye*; Just. III 91 *Meroe*; Joh. III 111 *Tisiphone*.

2) Etiam in casu accusativo dactylici Graeca terminatione adhibita saepe molestam nominis proprii elisionem effugerunt[4]): Claud. 3,9 *Phoeben alieno*; 3,155 *Hecaten et*; 27,18 *Inarimen hunc* (in caesura pentametri); 20,405 *Nioben aut*; c. m. 53,69 *Rhodopen Hebri*; 8,50 *Rhodopen et*.

Quae terminatio postquam increbuit, a poetis, quorum primus videtur Catullus[5]) fuisse, sine metri necessitate adhibetur. Claudianus quoque Graecas formas adeo adamavit, ut eis saepe ante consonas uteretur vel in versus fine: R. Pr. III 246 *Cyanen cervix*; I 181 *Cybelen* + cons.; 10,138; 143; al. *Cymothoen* + cons.; R. Pr. III 184 *Inarimen* + cons. al.; in versus fine: 21,107 *Thracen* al.

---

[1]) cf. **Sniehotta**, de vocum Graec. ap. poet. Lat. usu, Vrat. 1903; **Norden**, comm. pg. 401 sqq. **Bednara** A. L. G. XIV pg. 586.

[2]) cf. **Bednara**, pg. 42 sqq; **Koene**, pg. 141; O. **Keller**, pg. 195 sq.

[3]) cf. **Neue**, I pg. 66 sqq; **Koene**, pg. 43; **Bednara**, pg. 42.

[4]) cf. **Koene**, pg. 44 sq; **Sniehotta**, pg. 25 sqq. cf. **Birti** praef. pg. CCXXI.

[5]) cf. **Bednara**, pg. 42.

3) In casu genetivo numeri singularis Graeca terminatio *es* pro Latina *ae* posita[1]) non ita frequenter occurrit in Claudiani carminibus (cf. R. Pr. I 282; II 218 *Lethes*; 7,114 *Oetes*; al.) et Corippus omnino Latinam praefert (cf. Joh. III 44; VI 256; al.).

4) In nominativo numeri singularis praeterea Graeca terminatio *ās* et *ēs* invenitur, cuius ope inde a Lucretio[2]) interdum nomina propria masculini generis metro inseruntur: Claud. 10,341 *Honoriadēs* pro *Honoriădă*; 23,21 *Scipiades*; 18,289 *Oedipodes*; 8,533; 15,418; c. m. 30,117 *Alcides*; R. I 70 *boreās*; Coripp. Joh. VII 243 *Stephanides*; Joh. IV 610 *Aegides*; V 305 *Alcides*.

5) In casu accusativo eiusdem declinationis finalibus syllabis *ān* et *ēn* nonnunquam elisio vitatur[3]):

Claud. 26,125 *Aeaciden Italo*; c. m. 30,151 *Phylaciden et*; 21,370 *Tigranen* + voc.; 28,470 *Tydiden attollant*; 26,576 *Tegean* + voc. Compluries Graecam finalem syllabam consona sequitur: Claud. 17,288 *Alciden nosce*; 7,203 *Gangen* + cons.; c. m. 17,38 *Aenean* + cons. (sic codex R); c. m. 36,3 *Borean nec*; praeterea Latina terminatio exstat: Claud. 26,3 *Aeetam*; R. Pr. II 58 *Gelam*; Coripp. Joh. praef. 7; 12; 15 *Aeneam* + cons.

b) de secunda declinatione.

1) Sine metri necessitate in casu nominativo numeri singularis nonnullorum vocabulorum Graeca terminatio *ŏs* pro Latina *ŭs* servatur[4]): Claud. 21,325 *Arctos*; 15,203; R. Pr. I 218 *Atropos*; 2,10; R. Pr. II 136 *Cephisos*; R. Pr. II 34 al. *Delos*; c. m. 4,8 *Gnosos*; 26,190 *Isthmos*; 5,515 al. *Tityos*; Corippus: Just. III 91 *Cypros*; 90 *Tyros*.

Ambigua est apud Claudianum lectio nominum propriorum *Aegyptos* vel *Aegyptus* (c. m. 28,5); *Cyrnos* vel *Cyrnus*

---

[1]) cf. Koene, pg. 44; Bednara pg. 43; Neue, I pg. 97 sqq. Birti praef. pg. CCXXII.

[2]) cf. Neue I pg. 48 sqq.

[3]) cf. Neue I pg. 88 sqq. Bednara pg. 43.

[4]) cf. Birti praef. pg. CCXXI. Norden, comm. pg. 401 sq.

(20,21; 19,72) et semel Latina syllaba *us* adest in voce *Epirus* (26,136), ubi Vergilius Graecam terminationem *os* praebet (G. I 59).

2) In casu accusativo autem saepe a poetis dactylicis ad elisionem molestissimam evitandam Graeca finalis syllaba *ŏn* pro Latina *ŭm* retinetur[1]): Claud. 21,12; 8,108; 26,74; al. *Pēlĭŏn* pro *Pēlĭŭm*; 9,10 *barbiton et*; Coripp. Just. III 89 *Ascalon et*; Joh. I 172 *Seston Abydenis*. Sequantur pauca Claudiani exempla, ubi terminatio Graeca ubique ante consonas ponitur: c. m. 26,90 *Aponon* + cons. R. Pr. II 63; I 136; II 353; 21,127[2]). In eodem casu accusativo Graecorum nominum propriorum, qualia sunt *Theseus* (cf. Catull. 64,81 al.) Graeca terminatio *ĕă* pro *ĕŭm* inde a Ciceronianis temporibus[3]) invenitur. Exempla, quae apud Corippum desunt, in Claudiani carminibus[4]) quinque fere leguntur: 20,497 *Epimēthĕă* pro *Epimēthĕŭm*; 26,320 *Nerea*; c. m. 31,1 *Orphea*; R. Pr. III 13 *Protea*; c. m. 51,13 *Salmonea*.

3) In genetivo Graecorum nominum in *eus* exeuntium terminatio *ĕŏs* interdum commodior est[5]) poetis quam *ĕī* praesertim eis, qui talium vocabulorum synizesin spernebant. Ita Claud. 10,51 *cubile Protĕŏs* pro *Prōtĕī* vel *Prōtei*.

4) Dativum Graecanicum nominum propriorum in *eus* exeuntium iam Catullus[6]) (64,382 *Pelei* pro *Pēlĕō*) et Ovidius (cf. met. V 201 *Persei* pro *Pērsĕō*) adhibuerunt, quam licentiam semel Claudianus quoque sibi permisit (cf. c. m. 31,33 *Threicio Iuno placabilis Orphei*).

c) de tertia declinatione.

1) de numero singulari.

---

[1]) cf. Neue I pg. 191 sqq.; Koene pg. 63; Bednara pg. 44; Sniehotta pg. 24 sq.

[2]) cf. Birti praef. pg. CCXXI.

[3]) cf. Neue I pg. 470 sqq. pg. 505; Koene pg. 33; Bednara pg. 45.

[4]) cf. Birti praef. pg. CCXXI.

[5]) Koene pg. 33; Haefner pg. 6; Neue I pg. 454 sq.; Sniehotta pg. 22 sq.; Bednara pg. 41.

[6]) cf. Bednara, pg. 45.

α) Graecanicus genetivus ŏs pro ĭs consensu omnium codicum apud Claudianum tantum in usu nominis proprii *Thetys*[1]) occurrit: 1,35; 7,58; c. m. 27,16; R. Pr. III 320 *Thĕtўŏs* (semper in primo versus pede). Reliquorum autem nominum propriorum Graeca syllaba finalis singulorum codicum lectione nititur[2]), quin etiam omnino in his vocabulis Graecanicis deest: 3,254; 18,361 *Busiridis*, quod nomen proprium apud Statium circumscribitur (cf. silv. III 1.31; IV 6.103); 5,189 *Lacedaemonis*; 2,14 *Themidis* al.[3]).

β) Contra saepissime accusativi Graeci forma ă pro Latina *em* invenitur. Iam Ennius[4]) metro coactus hunc usum sequentibus poetis[5]) familiarem reddidit. Itaque neuter poetarum nostrorum commodissimas illas formas respuit: Claud. 5,419 *Actaeŏnă* pro *Actaeŏnĕm*; 22,170 *Amphiona*; 20,530 *Memnona*; 20,246 *Maeona*; R. Pr. II 385 *Ixiona*; 3,106 *Castora*; 1,202 *Nereida*; 18,272 *Pallada*; c. m. 30,170 *Schoeneida*; R. Pr. III 1 *Thaumantida*; 26,179 *Haliacmona*; 15,476; 10,311 *Strymona*; 20,30 *Symplegada*; 8,177 al. *Chalcedona;* 22,255 c. m. 25,89 *Saxona*. Vox illa iam apud Graecos (Σαξών) adhibetur, sed aliud exemplum *Cicerona* (c. m. 40,4) satis dubium est[6]). Commemoro denique appellativum *aethera* (1,83; 3,130; 28,47; 21,141; al.). Corippus habet Joh. praef. 8 *Hectora*; Joh. III 113; 366; 368; IV 354; VI 288 et saepius *ăĕră* pro *ăĕrĕm*; Joh. II 171; 230; VI 484; VIII 311; 449; Just. I 296 *aethera*.

Commoditatis etiam gratia Graeca terminatio admittitur[7]): Claud. 20,475; 7,201 *Babylona*; 8,35; 24,336 *Atlanta*; 4,1 *Helicona*; 21,256 *Nasamona*; 28,200 *Pana*;

---

[1]) cf. Birti praef. pg. CCXXII Catull. 66,70 *Thĕtyĭ* pro *Thĕtyī*.

[2]) Claudiani exempla in Birti praefatione inspiciantur (cf. pg. CCXXII).

[3]) cf. Birti praef. pg. CCXXII; adiciam unum Corippi exemplum *Garamantidos* (Joh. VI 198).

[4]) cf. Neue I pg. 458.

[5]) cf. Koene pg. 50; 108; 119; Bednara pg 46.

[6]) cf. Birti praef. pg. IX; Paucker, Mus. Rhen. XXXV 588.

[7]) cf. Bednara, pg. 46.

1,94 al. *Titana*; 5,523 *Styga*. Coripp. Joh. IV 325 *Charona*; VI 593 *Nasamona*; 457 *Titana*; IV 382; al. *Solomona*; similia.

Alter quidam accusativus Graecus syllaba *in*[1]) pro *im* terminatus ab eis nominibus propriis, quorum nominativus syllabam *is* praebet, descendens a poetis ponitur et ante vocales: Claud. 3,312 *Maeotin Alanus*; 18,246 *Phasin aguntur* et ante consonas: R. Pr. III 332 *Acin, quod*; c. m. 25,106 *Athesin* + cons.; item 7,72 *Phasin*; 3,324 *Tanain*; al.[2]). Contra Latina terminatio retinetur in 7,205; R. Pr. II 66 *Tanaim*; 15,186 *Phalerim*; 21,53 *Tigrim*.

2) de numero plurali.

α) In casu nominativo brevis Graeca syllaba *ĕs*[3]) graviori Latinae *ēs* saepissime creticum efficienti anteponitur: Claud. R. Pr. III 254 *Acheloidĕs* pro *Achelōidēs*; 8,609; 5,419; 20,523; al. *Maenadĕs*; 20,246 *Maeonĕs*; 1,249; R. Pr. III 17; II 56 *Naidĕs*; 10,159 *Nereidĕs* al.; eandem syllabam finalem saepe etiam invenimus, ubi metro minime exigitur: Claud. 24,369 *Lyncĕs*; 20,285 *Corybantĕs*; 8,258 *Serĕs*; 20,247 *Thracĕs*; R. Pr. III 182 *Titanĕs*; 19,68 *Tritonĕs*.

β) In casu accusativo denique dactylici inde ab Ennianis temporibus[4]) saepe commodiorem Graecam syllabam finalem *ăs* versui immittebant[5]), id quod etiam Claudianus et Corippus fecerunt. Nonnullis formis creticus vitatur: Claud. 26,135 *Chāŏnăs* pro *Chāŏnēs*; R. Pr. II pr. 37 *Stymphalidăs*; 11,32 *Amazonăs*. Interdum commoditas causa huius remedii est, cf. R. Pr. III 190 *Sirenăs abegit* (in thesi quinti pedis) al.; neque denique haec exempla commemorare omittam: 19,68 *Lascivas . . . fallere Nereidăs* 20,239 *Iōnăs*;

---

[1]) cf. Neue I pg. 477 sqq.; Bednara pg. 46; Sniehotta pg. 29 sqq.; Norden, comm. pg. 403.

[2]) cf. Birti praef. pg. CCXXI.

[3]) cf. Koene pg. 120; Neue I pg. 482 sqq.; Bednara pg. 47; Birti praef. pg. CCXXII.

[4]) cf. Neue I pg. 486 sqq.; Sniehotta pg. 35; 49.

[5]) cf. Bednara pg. 47.

28,45 *Gigantăs* (sed 8,534 *Gigantes*). Praeter has formas ubique in versus fine collocatas profero: 3,338 *Thracas defende tuos*; c. m. 28,19 *Blemyasque tuos*; 20,468 *per Cilicas* al. Corippus in numero plurali exhibet promiscue et Latinam formam *phalangēs* (cf. Joh. IV 622; VI 526; 657; Just. I 279) et Graecanicam *phalangăs* (cf. Joh. I 78; 511; II 49; III 179). Aliorum vocabulorum Graecorum Corippus Latinam syllabam finalem partim praetulit (cf. Joh. VI 658 *Gigantes*) partim sprevit (cf. Joh. III 85 *tripodas*), quam terminationem in hoc vocabulo iam Vergilius (Aen. III 360) et Claudianus (2,12; 28,31) adamaverunt.

Appendix.

Restat, ut commentationi nostrae appendicem nonnullarum observationum criticarum in Corippi carminibus factarum adiciamus.

Joh. I 311 sqq.

validis mitescere ventis
imperat et clauso . . . motaeque[1]) *procella*
effugiunt celeres tenuato vellere nubes.

Lacuna in codice inter verba *clauso* et *monteque* exstans vix coniectura certa expleri poterit, cum, quomodo tempestas coorta sit, nesciamus. Septimum enim folium codicis T, ubi de initio tempestatis agebatur, deest. Qua de causa Petschenigius huic versui restituendo laborem impertire videtur omisisse[2]). Egomet ipse proponam: *imperat et clausit montem motaeque procella effugiunt celeres tenuato vellere nubes*[3]). Quam coniecturam nonnullis argumentis ex

---

[1]) codex dat *monteque*.

[2]) Mazzucchellius coniecit: *imperat et clauso frangi sub monte procellae*.

[3]) simili structura est vers. 349 *imperat*, *et notae / laetus / successit harenae*.

aliis Corippi versibus et ex *Johannidos* compositione sumptis probabilem reddere conabor. Iam spectemus similitudinem quandam inter primum et *Johannidos* et *Aeneidos* librum intercedentem, quae neque in notis Mazzucchellianis (praeter Aen. I 173 → Joh. I 373) neque apud Amannum[1]) commemorata est.

Aen. lib. I.	Joh. lib. I.
vers. 34. *Vix e conspectu Siculae telluris in altum vela dabant laeti et spumas salis aere ruebant, cum . . .*	241 sqq. *Iam medium pelagus . . . tenebat classis et . . . surgebat roscida caelo producens Aurora diem, cum . . .*
vers. 36 sqq. Juno, quae Aeneam ab Italia vult intercludere, ad Aeolum regem nimborum se confert.	243 sqq. *Angelus mente malignus* ductorem reverti iubet et minis terret.
vers. 81 sqq. tempestas cooritur.	vers. 271 sqq. desunt in codice T.
cf. vers. 85—92; 103—23.	vers. 271 sqq. medias in res inducimur.
vers. 89. *ponto nox incubat atra.*	278 . . . . . *nocturnus et error . . . .*
vers. 92. *extemplo Aeneae solvuntur frigore membra;*	vers. 307 sq. *frigidiora gelu ceciderunt crura manusque membraque . . . .*
93. *ingemit et duplices tendens ad sidera palmas talia voce refert:*	282 sqq. *ingemuit ductor mentem que ad sidera tristis erigit . . . . supplex his vocibus infit:*
124—47. Aeneas a Neptuno,	Johannes a Deo servatur (vers. 310 sqq.).
143. *collectasque fugat nubes solemque reducit.*	312 sqq. *motaeque procella effugiunt celeres tenuato vellere nubes sol redit et . . . .*

1) cf. Amanni comm. pg. 12.

Aen. lib. I.	Job. lib. I.
145 sqq. *levat ipse tridenti et vastas aperit syrtes et temperat aequor atque rotis summas . . . . perlabitur undas.*	315 sq. *explanat marmoris undas iussio certa dei.*
157 sqq. *Defessi Aeneadae, quae proxima litora, cursu contendunt petere et Libyae vertuntur ad oras.*	348 sq. *Ocius adductas ad litora vertere proras imperat, et notae laetus successit harenae.*

Utraque classis ad quietum portum Libyae appellitur et sequitur huius loci descriptio.

Aen. lib. I.	Job. lib. I.
159 sqq. *insula portum efficit* . . . . 164 *aequora tuta silent*	353. *efficiunt portus nimium vada salsa quietos.*
168 sqq. *hic fessas non vincula naves ulla tenent, unco non alligat ancora morsu.*	373 sq. *tunc ancora morsu fixa suo tenuit securas litore puppes.*
198 sqq. Aeneas socios solatur.	377 sqq. Johannes apud milites contionatur.
208 sq. *talia voce refert . . . . premit altum corde dolorem.*	411. *sic fatus doluit. . . .*

Quodsi tantam versuum similitudinem inter utrumque poetam intercedere vidimus, fieri etiam potest, ut Corippo Aeoli ille ventorum mons notissimus obversatus sit. Quod mirari non debemus, cum Vergili auctoritas tanta fuerit, ut iam *Silius Italicus huius tempestatem a Iunone commotam a Neptuno sedatam memoria complexus a Neptuno Hannibali tempestatem mitti, a Venere huius iras placari fingeret, Valerius Flaccus totam illam descriptionem* imitaretur [1]). Ergo

[1]) cf. Liedloff, de tempestatis, necyomanteae, inferorum descriptionibus. Diss. Lips. (1884) pg. 9.

maligno illo angelo auctore ventos furentes e carcere emissos et a Deo monte clauso (cf. Ovidi met. I 262; Stati silv. III 2.45 sq.) sedatos esse veri simile est, si respicimus ab eodem poeta saepe, ubi similes res atque priores epici depingit [1]), carmina exornari versibus ex eorum poesi haustis semelque *ipsam nimborum patriam* [2]) commemorari (Joh. II 256). Coniectura nostra etiam alia de causa prope ad textum traditum accedit. Haud raro enim accidit, ut a scribis, si duo similia verba iuxta posita sunt et alterum omittatur et alterum mutiletur [3]). Sensus loci denique pro voce *clauso* postulat verbum, quod casum accusativum regit, et minime habemus, cur perfectum *clausit*, quod praesentis formam *imperat* subsequitur nos offendat [4]).

Joh. II 89 sqq.

cornipedum saevus laxatis Austur habenis
viribus hunc sequitur fidens, et fortis in armis
et numero superante modum; nam belliger Austur
sollicitus dubias campis committere pugnas,
collocat astrictis muros fossasque camelis
atque pecus varium densa vallante corona
ponit, ut obicibus pugnantes implicet hostes
ambiguosque premat.

Sic traditur. Verum si numerus armatorum modum superat, cur Austur ille tam anxie *dubias committere pugnas* veretur? Huc accedit, quod coniunctione *nam* sensus efficitur verbis antecedentibus contrarius. Propono igitur:

et numerum superante modo; nam . . .

Sic enim lectio sequentibus verbis, quae coniunctione *nam* incipiuntur, optime respondet. Nam belliger Austur,

---

[1]) cf. Skutsch, Pauly-Wissowa IV pg. 1241; Amann, passim; Weymann, A. L. G. XIII 259; Hosius, de imit. script. Rom. Gryph. 07.

[2]) cf. Verg. Aen. I 51.

[3]) cf. Joh. I 233 *terris terram* T. pro: *terris taetram*; III 118; VI 21; VIII 591 al.

[4]) cf. Petschenigi verborum indicem pg. 258 et hanc commentationem pg. 89 adn. 3; Norden, comm. pg. 113.

id quod poeta vult dicere, non solum fortis in armis est, sed etiam cautum et callidum hostem se praebet[1]).

Joh. II 106 sqq.

nam fortis Ilaguas
quondam per latos prostratus vulnere campos
iuncta saeva dedit, praedis bellisque pepercit.

Gravissima corruptela *iuncta*, quae iam propter metricas rationes respuenda est (cf. *iūnctă săeva*), a nullo editore adhuc sublata est. Mazzucchellius posuit *inguina*, id quod sensui quidem respondet, sed non traditae lectioni; Petschenigius in *addendis* Haupti coniecturam *lancea* probavit. Equidem conicio:

nam fortis Ilaguas
quondam per latos prostratus vulnere campos
funera saeva dedit, praedis bellisque pepercit.

Primum litterae ipsae minime repugnant coniecturae, quae versibus sequentibus comprobatur (cf. vers. 140 sqq. *iam audax alternis surgit ab oris adversa de parte fremens dux ille ruinas, quas illi Romana manus per vulnera Martis ante dedit; tantam inde ferus nunc colligit iras.* Similem verborum compositionem iam apud Vergilium inveni (Aen. VIII 570) *tot ferro saeva dedisset funera*, quo loco sane verbum *dare* pro *facere* positum est[2]). Praeterea vocabulum *funus*, quo *cadaver* nostro loco significatur in Corippi carminibus saepius exstat[3]). Profero: Joh. I 40 *linquuntur funera terrae*; IV 33 *o utinam medio iacuissent funera campo*; 151 *mediis prosternens funera campis*; V 366; 462; 472; 488; 512; inprimis vero VI 651 *funera per latos contra venientia campos vulnere fundebat vario;* VIII 527 *dederant quae funera campis.*

---

[1]) cf. Joh. I 345 *prohibet natura volentem et mista virtute modus.* VII 274 *sed numerus virtute minor tamen horret in armis.*

[2]) cf. Petschenigi verb. ind. pg. 238.

[3]) cf. item pg. 241.

Joh. III 3 sq.

dulci non claudens lumina somno
pervigil in mediis disponit acumina castris.

Sic Petschenigius legi vult neglegens codicis T lectionem *lumina*, qua optime illustratur ductoris vigilantia, qualem Mauri quoque in secundo Joh. libro (vers. 435 sqq.) praestant. Similiter poeta noster iam in eodem libro scripsit (II 419 sqq.): *Cynthia . . . obscurae terrae non lumina praebens. Sed non castra ducum noctis sensere tenebras: lumina densa focis per campos clara relucent.* Ceterum locus quidam Vergilianus commemoratione dignus est, cf. Aen. IX 189 *lumina rara micant.* Praeterea apud Corippum eadem vox in eodem vel proximo versu iterata non offendit [1]): Joh. II 465 sq. *lumina saepe vident . . . lumina clausa vident*; cf. Joh. III 63 sq.; 76; 273 sq. 357; 447 sq. IV 516; 564 sq.; V 1; 45; 178; 378 sq.; VI 574; VII 31 sq.; 34 sq.; 38 sq.

Joh. V 257 sqq.

Inde ferit pavidum conversa cuspide Malcum,
Artemiumque furens et duro numine Maurum
transadigit socioque infixum deicit ictu.

Sic scribit Petschenigius, qui vocem *nomine* codicis T in *numine* commutavit. Si cum Petschenigio legimus *numine*, substantivum *Maurum* videtur supervacaneum esse. Haud scio an poeta, qui ubique nobiliorum Maurorum nomina commemorat, historicam fidem augere voluit concedens hoc nomen *durum* esse neque versui immitti posse [2]). Iam priores poetas interdum metro impeditos esse, ne gravissima nomina propria heroico metro adaptarent, constat. Quin etiam hanc difficultatem profiteri non veriti sunt [3]).

---

[1]) cf. Petschenigi editionem pg. 38; Skutsch, Pauly-Wissowa IV pg. 1244: Appel, pg. 63.

[2]) cf. Joh. II 25 sqq. . . . *nam fera barbaricae latrant sua nomina linguae* et Joh. IV 850 sqq. *illi inter sese fracto sermone furentes, latratus varios, stridentibus horrida linguis verba ferunt . . .*

[3]) cf. O. Keller, pg. 197 sq.; Bednara, A. L. G. XIV pg. 578.

Joh. VI 145 sqq.

Qui versus tractatione digni sunt, quod similitudinem et verborum et sententiae inter Corippum Lucanumque praebent, quam Amannus commemorare neglexit[1]).

Lucan. V 68 sqq.	Coripp. VI 145 sqq.
Appius, qui partes Pompei sequitur, belli eventum ex oraculo Delphico quaerit.	Carcasan, dux Maurorum, ex eadem causa Ammonis oraculum petit.
vers. 70 *fatidici Phoebi*; 146 *penetrale fatidicum*; 122 *scrutatur ad ultima fati.*	vers. 164 *fatidicum dum quaerit iter*; 162 *scrutatur fata recensens.*
161—93 sacerdos Apollinis plena.	152—65 sacerdos Ammonis lymphata.
172 *cervice rotat.*	155 *lymphata rotat.*
194—96 oraculum ipsum: *Effugis ingentes tanti discriminis expers bellorum, Romane, minas solusque quietem Euboici vasta lateris convalle tenebis.*	166—76 oraculum ipsum: . . . . *Mazax Byzacii campos magna virtute tenebit, tunc erit alma quies.*
197 *cetera suppressit faucesque obstruxit Apollo.*	177 *Dum canit haec vates, conturbans spiritus ora obstruit et miseras mentes errore fefellit.*
224—36 ambigua sententia: . . . . . *secreta tenebis litoris Euboici*	181—87 item: . . . *semperque tenebunt ossibus arva suis* . . . .

Joh. VII 220.

Pro rebus magnoque laborant [arte] magistro.

---

[1]) cf. Amann, pg. 26, qui Joh. III 85 sqq. cum Lucan. V 145 sqq. tantum comparat. Skutschius cum nostro loco composuit Euripidis Bacch. (vers. 968), ubi simili ratione datum oraculum aliter atque homines interpretantur evadit (Pauly-Wissowa, IV pg. 1242).

Lectio *arte*, qua Petschenigius codicis T lacunam complevit, comprobanda est, cum hanc vocem poeta valde[1]) dilexerit et similes verborum compositiones inveniantur: Joh. IV 576 sq. . . . *et arte magistri*; III 148 *arte magister*; V 190 *magno clamore magister puppem convertit et arte . . .*; VII 527 *labores arte parant.*

Joh. VIII 36 sq.

Senserat hoc cautis Carcasan mōnitus alis
Antalasque ferox.

Pro codicis lectione *cautis . . . monitus alis*, qua prosodia verbi *monere* gravissime violatur (cf. vers. 134 *mŏnens*; Just III 337 *mŏnitus*; al.) suspicor legendum esse: *Senserat hoc cautus Carcasan montibus altis Antalasque ferox*[2]).

Et Carcasan *cautum* recte vocari posse versus ille (14 sqq.) docet: *non viribus audet Carcasan nostris fretus concurrere telis, arte sed asper agit Latias vexare cohortes, effugere inde parans.* Frequenter denique versus clausula *montibus altis* in epicis carminibus occurrit (cf. Joh. II 62; III 252; IV 304; VII 39[3]) et verborum compositio iterata (cf. verss. 36; 39) in usu Corippeo posita est.

Joh. VIII 91 sq.

exacuunt dubias [iunctis] fervoribus iras
decernuntque nefas.

Lacunae inter voces *dubias* et *fervoribus* exstanti Partschius quidem participium *iunctis* immisit, sed malim *sumptis* nisus et loco quodam Ovidiano (met. II 175) *sumpsitque novas fervoribus iras* et tribus Corippi exemplis:

Joh. IV 52 *sumptas infandis vocibus iras;*

VII 245 *sumptis* (sic π) *tunc habuere odiis* (cod. T *functis*);

---

[1]) cf. Joh. II 121; 362; III 104; 175; IV 601; 51; 362; 378; 477; 500; 608; 619; VI 742; VII 295; vide etiam Petschenigi indicem pg. 233.

[2]) Eandem lectionem iam Mazzucchellius proposuit (cf. not. pg 390).

[3]) Ex Vergilio profero: Aen. III 675; X 707; G. IV 112.

VIII 179 *nimium iam morte propinqua audaces animos et saevas sumpserat iras.*

Joh. VIII 625 sq.

fugit ilicŏ mille per hostes
permistusque suis densis se contegit armis.

Adverbium *ilicŏ*, quod codice T traditur, neque apud priores epicos neque apud Corippum ipsum legitur sed semper adhibetur altera forma *ilicet*[1]).

Cum Corippus voces vel versuum partes non solum ex aliorum poetarum carminibus hauserit sed etiam hic illic ex *Johannide* et ex *panegyrico*, duas versuum partes copulando locum nostrum male traditum possumus restituere:

Joh. VI 593 *fugit ilicet Austro ocior*
Joh. V 501 *frangitur ille per hostes.*

Just. I 89

Fit iussis mora nulla dein. mox claustra resolvens . . . .

Sic proposuit Hauptius pro codicis M lectione *dei*, quae sensu vacat. Etiam *dĕin* molestum est, propterea quod talis mensura neque apud Corippum neque apud priores epicos occurrit. Sequitur denique vocem *dein* statim illud *mox*, quo idem significatur. Haud scio an poeta scripserit: *fit iussis mora nulla viri. mox . . .* , quae forma in quarta versus hexametri arsi frequentissime a poeta ponitur.

---

[1]) cf. Verg. Aen. II 424; 758; VII 583; VIII 223; Claud. 1,211; 3,178; 15,472 al. Coripp. Joh. I 124; II 241; III 404; IV 61; VI 420; 593; VIII 164; Just. II 8, nisi iam in primo libro (vers. 112) hoc adverbium ex cod. M verbis male traditis: *illic (e* add. M[2]) corrigendum est: *ilicet e stratis consurgens . . .*

Argumentum:

Vita.

Natus sum Alfredus Welzel die XIX. mensis Februarii anni 1881 in Silesiae oppido, cui nomen est Reichenbach, patre Brunone, matre Maria e gente Bauer, quos adhuc superstites esse gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Vratislaviense Fridericianum adii, maturitatis autem testimonium in Silesiae oppido, quod vocatur Leobschuetz, vere anni 1903 adeptus sum. Mense Aprili eius anni in universitatem Vratislaviensem me contuli, ubi philosophorum ordini adscriptus per decem semestria scholas frequentavi.

Docuerunt me viri doctissimi:

Baumgartner, Cichorius, Ebbinghaus, R. Foerster, Freudenthal †, O. Hoffmann, Jacoby, Kampers, Kaufmann, Kuehnemann, Norden, Partsch, Preuss, Skutsch, Stern, Wendland, Zacher †, Ziekursch.

Seminarii philologici Foerster, Skutsch, Wendland moderantibus per duo semestria sodalis fui ordinarius. Praeterea ad exercitationes seminarii historici me admiserunt Cichorius, Kaufmann, Preuss. Quibus omnibus viris gratiam habeo maximam, inprimis autem Skutschio, qui huic commentationi operam curamque impendere non desiit.